# NCANTAMENTA MAGICA

# GRAECA LATINA.

COLLEGIT DISPOSUIT EDIDIT

RICARDUS HEIM.

OMMENTATIO EX SUPPLEMENTO UNDEVICESIMO ANNALIUM PHILOLOGICORUM
SEORSUM EXPRESSA.

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCXCII.

PAGINARUM NUMERI SUNT SUPPLEMENTI UNDEVICESIMI ANNALIUM PHILOLOGICORUM

62036

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

## De usu incantamentorum.

Omnes populi non solum antiquitatis, sed etiam nostrae aetatis, etiamsi religionis formam puriorem prae se ferunt, tamen semper multa instituta et praecepta priscarum opinionum retinuerunt. Atque etiam facile demonstrari potest, quo eruditior et humanior sit altera pars uniuscuiusque populi, eo firmioribus vinculis superstitionis atque δειcιδαιμονίαc alteram rudium indoctorumque devinciri. Multo magis hoc cadit in homines antiquorum temporum, cum religio et superstitio in unum confluxerint; qui magiam cum multis mysticis experimentis semper efficacem esse putaverunt. Nemo enim a malo praesenti liberari, bona servare, morbum expellere, inimicum opprimere nolebat; agricolam cura bestiarum et agrorum tenebat. Ita illis temporibus eodem modo, quo nostris, plurimi usus superstitiosi spectant ad res domesticas, ad partum, morbum, mortem. *Der Aberglaube bildet gewissermassen,* ut ait Grimm[1]), *eine Religion für den ganzen niedern Hausbedarf.*

Inter has magicas disciplinas et artes primum certe locum obtinent ἐπῳδαὶ vel incantamenta, quorum auctoritas et potestas non parva existimabatur.

*Stellis atque herbis vis est, sed maxima verbis,*
*tantum verba valent, quantum mens sentiat illa.*

Crebro mira vis verbi magici commemoratur, velut a Lucano VI 685.

*tunc vox Lethaeos cunctis pollentior herbis*
*excantare deos ....*

cf. VI 452 sq., 527 sq.

Vox iis non sonus vacuus erat, sed magna erat vis[2]) in ea, *dictaque pondus habent* (Ov. fast. I 182). Ex hac sententia verisimile est praeceptum Pythagoricorum, qui aeque ac Platonici philosophi verbo magnam potestatem tribuerunt, μετὰ φωνῆc εὔχεcθαι, clara voce orare exortum esse (Clem. Alex. Strom. IV 171 p. 416 D). Atque Rohde 'Psyche' p. 61 demonstrat formulas precandi iurandi incantandi ex eodem fonte fluxisse.

---

1) 'Deutsche Mythologie' II⁴ p. 926.

2) Cf. Orig. c. Cels. I 23. Οὕτωc οὐ τὰ cημαινόμενα [sc. ἐν ταῖc ἐπῳδαῖc] κατὰ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' αἱ τῶν φωνῶν ποιότητεc καὶ ἰδιότητεc ἔχουcί τι δυνατὸν ἐν αὐταῖc πρὸc τάδε τινὰ ἢ τάδε, cf. Plin. nat. hist. XXVIII 10 et Orig. tom. II p. 444 (ed. de la Rue).

Omnes fere gentes[1]) hoc magiae genere usae sunt carminibusque mala expellere conatae; atque quo magis inculta et barbara erat gens, eo crebrius ad hoc auxilium confugit. Ab antiquissimis temporibus etiam Graeci hanc superstitiosam artem coluerunt; iam apud Homerum (Od. τ 456) filii Autolyci Ulixem vulnere ab apro percussum incantando sanaverunt. Neque recte mihi videtur Welcker[2]) dixisse, Homeri heroas ἐπῳδὰς repudiasse neque illis temporibus morem incantandi fuisse. Etiamsi incantamenta aperte ab Iliadis poeta non sunt commemorata, causa haec idonea non est, cur negemus ἐπῳδὴν esse usurpatam a medicis Homericis. Porro Pindarus (Pyth. III 51) Aesculapium, Chironis discipulum, praedicat, qui gladio aut lapide vulneratis, frigore aut aestu vexatis corporibus cum aliis remediis tum μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς medeatur. — Omnia testimonia antiquorum scriptorum de usu carminum magicorum hoc loco afferri supervacaneum est, cum Welcker l. l., O. Hirschfeld[3]), U. Kehr[4]) satis congesserint.

Sed quod praeterea Welcker dicit, Aeschylum perinde atque Iliadis poetam nescire incantationem esse medicinae partem, sane in Promethei gloriatione v. 485 sqq. rudiusculam illam artem omisit, sed idem dicit

Agam. 975 K. αἷμα τίς ἀγκαλέσαιτ' ἐπαείδων;

et Eum. 638 K. ἅπαξ θανόντος οὔτις ἔστ' ἀνάστασις·
τούτων ἐπῳδὰς οὐκ ἐποίησεν πατήρ.

Hoc loco dicit poeta contra mortem carmen nullum prodesse neque quidquam Iovem ipsum posse. Itaque putare debemus Aeschylum in morbis ἐπῳδὴν efficaciter adhibere existimasse. Porro idem poeta duobus locis ἐπῳδὴν vocabulum cum sensu metaphorico habet: Prometh. 175 K. et Agam. 1372 K., ubi Clytaemnestra Agamemnonem accusat, ὃς ἔθυσε αὑτοῦ παῖδα ἐπῳδὸν Θρῃκίων ἀημάτων. Atque Aeliani locus (de nat. an. II 18) de scientia medicinali heroum et filiorum deorum, qui et radices herbasque et ἐπαοιδὰς εἴς τε φλεγμονὴν ἀντιπάλους καὶ ἀναστεῖλαι αἷμα noverunt, sine ulla causa Welckerum, qui Aelianum de hac re errasse putat, offendit. Sed non video, cur haec Aeliani verba in dubium vocemus. Cur heroes, qui alias omnia incantationibus perfecerunt, non hoc auxilio medicinae uterentur?

---

1) Sachau 'Chronologie orientalischer Völker' p. 29, Kuhn 'Indische und germ. Segenssprüche' in K. Z. XIII p. 49 sq. et 113 sq., Lassen 'Indische Altertumskunde' p. LXXII, Maspero 'Geschichte der morgenl. Völker' p. 148, Wiedemann 'Religion der alten Aegypter' p. 147 sq., Erman 'Aegypten und aegypt. Leben' II 471 sq., Lenormant 'La magie chez les Chaldéens' p. 83, 86 sq., 89 etc.

2) 'Epoden oder das Besprechen' in 'Kleine Schriften' III p. 64 sq.

3) De incantationibus et devinctionibus amatoriis apud Graecos Romanosque. Regiomonti 1863 p. 21 et p. 39 sq.

4) Quaestionum magicarum specimen. Hadersleben 1884 p. 13 sq.

Aiacem Hercules pelle leonina et carmine[1]) quodam magico tutum ad omnes ictus reddidit atque Perseus Gorgona vicit ἐπαοιδίαις περιῳδήσας (Luc. Philopatr. c. 9) et Venus Iasona incantamenta et venena docet ad Medeam in amorem attrahendam (Pind. Pyth. IV 217). Omnino in mythis Graecorum haud raro heroes usi esse cantionibus, quales in fabulis omnium fere populorum inveniuntur, veluti saepe in Edda Germanorum septentrionalium carmine, traduntur. Itaque medicinalia quoque carmina ab antiquissimis Graecis usurpata esse concedemus. An putamus Graecos aetate Homerica tam eruditos cultosque fuisse, ut ἐπῳδὰς iam spernerent, quasi nihil prodessent, cum apud alias gentes a principio hanc absurdam artem valde vigere videamus? Welckeri igitur opinio, qui a Plinio (nat. hist. XXX 4) in errorem ductus esse videtur, probanda non est. Nihilo magis placet sententia virorum doctorum, hunc carminum superstitiosum usum ex oriente in Graeciam importatum esse. Populus Graecorum ipse per se hanc artem, quae quasi pars religionis erat, novit et coluit, etiamsi de incantationibus veteribus paene nihil scimus; postea sane multum ex orientis populis, ut Iudaeis, Chaldaeis, Persis, Aegyptiis in Graecorum populum penetrabat, ut demonstrant papyri quae vocantur magicae in Aegypto inventae.

De carminibus a Romanis adhibitis loqui necessarium non est. Iam legibus XII tabularum vetitum erat fruges excantari et alibi carmen malum incantari (Plin. XXVIII 17, Sen. nat. quaest. IV 7). Atque in litteris latinis multo maior est acervus carminum, tamen instituta superstitiosa, quae antiquitus apud Romanos domestica et intestina erant, postea imperatorum aetate naturam veterem perdiderunt. Cum omnes fere cultus religionesque orientales Romam transferrentur, Graeca, Romana, Aegyptiaca, Iudaica, alia mixta sunt. Itaque facile non est cognitu, quid sit Romanae, quid peregrinae originis, quid novum aut antiquum, quid prius, quid posterius; neque fieri potest, ut tempus, quo singula carmina superstitiosa composita sint, cognoscamus.

Neque minus saepe difficile est, ut iam supra commemoravimus, discerni veram religionem et superstitionem magicam.[2]) Atque etiam vocabulum religionis in his praeceptis vanis exstat, ut Marc. XV 11 longam praecantationem contra synanches molestiam sic finivit: *hanc religionem evoco, educo, excanto de istis membris, medullis* et Pelagon. c. 20 (cf. infra p. 499) de carmine loquitur: *sed et verba religiosa non desint;* cf. etiam Theod. Prisc. II 2, 2 (p. 302v ed. Ald.): *Nam quam plurimi sapientiores etiam physicorum adiutoria providere, in quibus (ut etiam nostro libello physicorum comprehendimus) magna et veluti religiosa remedia procuravere.*

---

1) Schol. ad Pind. Isthm. VI 53, Welcker 'Kl. Schriften' III p. 21 adn. et Mus. Rhen. III p. 46.

2) Philosophi posteriores Platonici preces et cantiones magicas eodem loco habent: Plotin. IV 4, 38. εὐχαὶ ἢ ἁπλαῖ ἢ τέχνῃ ᾀδόμεναι, cf. IV 4, 26.

Specie verborum saepe et difficulter disiungi possunt verba, cum vocabula 'precatio' et 'praecantatio', ut scribendi ratio est, simillima sint atque a librario facile confundi possint. Etiam Plinius (nat. hist. XXVIII 10) duo genera, preces et incantationes, permutavit; primum agit de vi magica carminum, deinde uno tenore pergit de precibus in sacrificiis adhibitis: *Ex homine remediorum primum maximae quaestionis et semper incertae est, valeantne aliquid verba et incantamenta carminum .... in universum vero omnibus horis credit vita nec sentit. quippe victimas caedi sine precatione non videtur referre aut deos rite consuli; praeterea alia sunt verba impetritis, alia depulsoris, alia commendationis, videmusque certis precationibus obsecrasse summos magistratus* eqs. Ex his Plinii verbis paene concludi potest, precationem et praecantationem plane idem esse. Itaque codices interdum dissentiunt, veluti Plin. XXXVII 165. *Magorum impudentiae vel manifestissimum in hac quoque exemplum est, quoniam admixta herba heliotropio quibusdam additis precationibus* (v. l. praecantationibus) *gerentem conspici nequeunt;* cf. Plin. XXV 49, XXVIII 42, XXXVII 124 de amethysto amuleto adhibendo *precatione addita,* XXVIII 42 et Garg. Mart. de cura boum § 19 *menti precante,* ut Schuch editor scripsit. Postea in extremis litterarum latinarum temporibus et medio aevo 'precatio' plane vim praecantandi verbi accepit, cf. precationes Terrae matris et omnium herbarum a Riesio editae (Anthol. lat. I p. 18 sq.) et a Baehrensio (poet. lat. min. I p. 138 sq.), infra p. 503 sq.

Alio quoque modo et specie quidem religionis cultum et superstitionem, a qua magia artificiosa in oriente orta secernenda est, cohaerere negari non potest; ut sacerdos postulat, ut δόγματα religiosa credantur, ita superstitiosi laboriosis valetudinem non pollicentur, nisi illi fidem habeant medicamentis mysticis; cf. Marc. XXIX 3. *Est autem vitium periculosissimum ileos et hoc ideo inter praecipua remedia refertur; quam ob rem cum magna fiducia hoc genus vitii hoc medicamine sanandum adgredi debemus.* Item Alex. Trall. II p. 377 ed. Puschmann dilucide dicit, remedia mirabilia nihil prodesse sine fide firma: Ἀλλὰ παρακαλῶ ὑμᾶϲ μὴ πρὸϲ τοὺϲ τυχόνταϲ ἐμφαίνειν τὰ τοιαῦτα, πρὸϲ δὲ τοὺϲ φιλαρέτουϲ καὶ τὰ τοιαῦτα δυναμένουϲ φυλάττειν, ὅθεν καὶ ὁ θειότατοϲ ἰδὼν Ἱπποκράτηϲ (IV 642 L.) παρακελεύεται λέγων· 'τὰ δὲ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖϲιν ἀνθρώποιϲι δείκνυται, βεβήλοιϲι δὲ οὐ θέμιϲ.' Apud Lucianum (Philops. 10 p. 38 R.) Dinomachus, qui sententias superstitiosas vanasque defendit, etiam eo procedit, ut amicis persuadere velit, eum qui non ἐπῳδαῖϲ confidat, non credere deos esse, et Tychiadi, adversario sententiae, obicit: ϲύ μοι δοκεῖϲ τὰ τοιαῦτα λέγων οὐδὲ θεοὺϲ εἶναι πιϲτεύειν, εἴ γε μὴ οἴει τὰϲ ἰάϲειϲ οἷόν τε εἶναι ὑπὸ ἱερῶν ὀνομάτων γίγνεϲθαι. Et recte de hac re dicit Welcker l. l.: *Sie* (sc. *die Volksarznei der* ἐπῳδή) *zeigt im Grossen so sehr als irgend eine andre die ärztliche Wirksamkeit des Glaubens und Vertrauens und fasslicher als andre,*

*weil Allen ein dunkles Gefühl sagt, dass Wort und Stimme zwischen der Natur und dem Geisterreich, erforschlichen und unerforschlichen, unendlichen Kräften, selbst geheimnissvoll und wunderbar getheilt und wie auf der Grenze stehn.*

Incantamenta permulta per longum tempus saeculorum perdita aut corrupta sunt, ut hodie male, quid contineant vel significent illa, cognosci possit. Partim scriptores antiqui consilio studioque talia carmina in libris omiserunt, veluti Plin. n. h. XVII 267. ... *cum averti carmine grandines credant plerique, cuius verba inserere non equidem serio ausim;* et XXVIII 29 *carmina quidem exstant contra grandines contraque morborum genera contraque ambusta, quaedam etiam experta, sed prodendo obstat ingens verecundia in tanta animorum varietate.* Quamquam idem aliis locis magno gaudio vanas superstitionis res diligentissime congessit atque etiam nonnullis locis praecantationes nobis tradidit, eo magis dolendum est, quod hic sine ulla causa carmina, antiquae religionis vulgaris monumenta, praetermisit. Contra Alexander Trallianus, prudens medicus, et alia remedia affert nec mirabilia vel φυcικὰ congerere repudiat, ut homines creduli ita morbos malaque expellere possint; cf. II p. 319 m. a. Sed Geoponicorum epitomator postquam nonnulla absurda superstitiosa attulit (I 14, 11), excusat se: ταῦτα μὲν εἴρηται τοῖc ἀρχαίοιc· ἐγὼ δὲ ἔνια τῶν εἰρημένων ἀπρεπῆ λίαν ἡγοῦμαι καὶ φευκτά, καὶ πᾶcι παραινῶ μηδ' ὅλωc τούτοιc προcέχειν τὸν νοῦν· τούτου γὰρ χάριν αὐτὰ cυνέγραψα, ἵνα μὴ δόξω τι παραλιμπάνειν τῶν τοῖc ἀρχαίοιc εἰρημένων. Deinde alia causa, cur multae Graecorum et Romanorum ἐπῳδαὶ ad nos non pervenerint, certe a christianis scriptoribus repetenda est (cf. Oder. in Mus. Rhen. 1890 XLV p. 96 sq.). Unum exemplum huius furoris monachici praebet codex Vindobonensis no. 93[1]), qui permultas continet precationes et incantationes herbarum. In quibus christianus librarius locos, qui ad paganam religionem respiciunt, ut fides eius christiana magna erat, corrupit et christianas precationes restituit, ne quis detrimentum caperet fidei. Interdum desunt formulae magicae in codicibus neque causa cognosci potest, velut in Hippiatricorum corpore, quorum unum codicem multo integriorem, quam editionis Basiliensis anni 1537, Parisinum no. 2322 Miller[2]) descripsit et discrepantiam edidit; p. 89, c. 588 exstat in fine remedii ... καὶ ἐξείποιc, sed editor adnotat: 'La formule magique manque', et ib. p. 72, c. 460, .... καὶ τοὺc ὀφθαλμοὺc ἐπᾴδουcιν οἱ ταῦτα πράccοντεc, sed incantamentum non inveni. Vide etiam Pelagonii c. VII (p. 41 ed. Cion.) locum plane corruptum, quem Sarchianus emendare conatus est. Contra ventris dolorem inserviunt characteres in charta pura scripti et collo suspensi, sed librarius ipse

1) De quo agit I. Haupt in 'Sitzungsberichte der k. k. Akademie', Vindobonae 1872, p. 527 sq.; cf. infra p. 502 sq.

2) In 'Notices et extraits de manuscrits de la bibliothèque nationale', t. XXI 2 p. 1 sqq.

scripsit: *characteres sane non invenis in codice, ii erunt requirendi.* In Hippiatr. l. c. p. 69, c. 441 formula magica non exstat, ne secretum et obscurum, sub quo haec res latent, aperiatur: ἐνδέχεται γὰρ τὸν περιαπτόμενον γράμματα μὴ εἰδέναι.

Denique nonnulla de sylloge ipsa quae infra sequetur dici liceat, imprimis haec carmina e medicis, hippiatricis, geoponicis et graecis et latinis excerpsi et quantum potui pro multitudine eorum congessi; sed papyros magicas Berolinenses, Londinenses, Lugdunenses, Oxonienses, Parisinas a Partheyo, Leemansio, Wesselyio, Dieterichio editas, in quibus pedetemptim exorcismi, hymni magici, cantiones occurrunt, plerumque neglexi et occasione tantum data commemoravi; permulta carmina, a viris doctis[1]) spreta et operae pretio non esse digna habita, in codicibus inedita latent, ut vel eam ob causam tota copia exhauriri non possit. Cum his paginis vim magicam verborum explicare velim, non solum incantamenta, quae et pronuntiari et scribi potuerunt, contuli, sed etiam inscriptiones, quae in amuletis insculptae portabantur, quantum necessarium est, tractavi. Item devotionis formulas[2]) praetermisi, verborum magicorum potestatem praecipue salubrem et utilem, non diram et nocivam vim imprecationum[3]) descripturus.

1) Permulta carmina, exorcismi et benedictiones quae plerumque medio aevo orta sunt a philologis germanicis edita sunt in unoquoque fere volumine ephemeridum: 'Zeitschrift für die Kunde der deutschen Vorzeit, Zeitschrift für deutsches Altertum, Germania' etc.; locos afferre supervacaneum est, indices quaerenti suppeditabunt.

2) Locos, ubi tabulae devotionis editae sunt et de hoc usu magico agitur, collegerunt Marquardt-Wissowa 'Röm. Altert.' VI² p. 111 sq. adn. 7 et Dieterich Prolegomenon ad pap. mag. in Fleckeiseni annal. suppl. XVI p. 789 sq., sed numerus harum tabularum in dies augetur; cf. Klein 'Drei römische Bleitäfelchen', in 'Festschrift zum 50jährigen Jubiläum des Vereins der Alterthumsfreunde im Rheinlande' p. 129 sqq., 'Proceedings of the society of biblical archaeology' vol. XIII, Eph. epigr. VIII 529 m. a.

3) Cf. Schmidt 'Alte Verwünschungsformeln' in Fleckeiseni annal. vol. 143 p. 561 sqq., Lewy ib. p. 816 sq.

## I. Incantamenta simplicia.

Maximus numerus omnium carminum, quae ex opinione vulgari Graecorum et Romanorum effluxerunt et nobis tradita sunt, ad medicinam attinent; inter quae certe simplicissimum est praeceptum, ut nomen illius qui sanandus sit aut nomen morbi nominetur atque ita daemon morbi invocetur.

**1.** Plin. nat. hist. XXI 143. Sunt qui silvestrem (sc. irim) xyrim vocent, strumas haec vel panos vel inguina discutit. praecipitur ut sinistra manu ad hos usus eruatur colligentesque dicant cuius hominis utique causa eximant.

**2.** ib. XXII 38. Cum eruatur ea radix[1] (sc. urticae) dicaturque, cui et quorum filio eximatur, liberare morbo tradiderunt.

**3.** Hoc medicamentum in suam epitomam recepit Ps. Plin. III 16 (p. 90 ed. Rose): Ad tertianas. urticae autumnalis radix alligatur, is qui eam effodiet debet nominare eum, cui medetur et quibus parentibus natus sit.

**4.** Dioscor. περὶ εὐπορίστων I c. 155 ... *πρόλεγε δὲ, εἰς ὃν λαμβάνεται.*

**5.** Aetius Amiden. VIII λα′ (p. 156r ed. Ven. 1534). Φυσικὸν δὲ γράφει Ἀρχιγένης ἀληθὲς. πρὸς τοὺς κινουμένους ὀδόντας κυνὸς τεθνεῶτος ὀδόντας *ἐπ' ὀνόματος μάλιστα τοῦ πάσχοντος* λαβὼν τίθει ἐπ' ἀνθράκων.

**6.** Marc. VIII 52. De manu sinistra muscam capies et dum capies, dicere debebis nomen eius cui remedium facturus es [et] te ad curandos oculos eius muscam prendere.

---

1) In re magica saepe adhibentur herbae et radices; cf. Dieterich Proleg. ad pap. mag. in Fleckeiseni annal. philol. suppl. XVI p. 784 et Welcker 'Kleine Schriften' III p. 20 sq., 'Medea oder die Kräuterkunde bei den Frauen'.

**7.** ib. VIII 62. Oculos cum dolere quis coeperit, ilico ei subvenies, si quot litteras nomen eius habuerit, nominans easdem totidem nodos in rudi lino stringas.

**8.** ib. X 33. De sanguine ipso qui fluit nomen eius in fronte scribe, cui medendum est, adversum profluvium narium statim subvenies.

Cf. Theod. Prisc. IV (p. $312^v$ ed. Ald. 1547.) de ipso sanguine nomen eius cui fluit litteris latinis in fronte scribis ad cannam et statuisti.

**9.** Marc. XIV 65. Herbae cymbalitis radicem ante solis ortum collige sinistrae manus digitis pollice et medicinali in nomine eius qui uvam dolebit et licio colligatam collo eius suspende.

**10.** ib. XIV 68. Araneam, quae sursum versus subit et texit, prendes et nomen eius dices, cui medendum erit.

**11.** ib. XXII 10. In lamina stagnea scribe: Ite ΝΕΡΩΝ et desuper nomen eius iocinerosi, cui mederi voles, scribe.

**12.** Pelag. c. VII (p. 40. ed. Cion.) Si equi intestina doluerint, fuerit tortionatus; remedium incredibile, quod per se ostenditur, nomen domini eiusdem animalis in corona pedis dexteri grafio perscribito. — His verbis plane consentiunt Hippiatr. (ed. Miller in ‘Notices et extraits’ XXI 2) p. 90, c. 603. Ἐὰν ἵπποϲ ἔντερα πονήϲῃ, βοήθημα δύϲπιϲτον καὶ παράδοξον πρὸϲ τὸ τοιοῦτον πάθοϲ. Εἰ τὸ *ὄνομα τοῦ δεσπότου* ἐπάνω τοῦ κύκλου τοῦ δεξιοῦ ὄνυχοϲ τοῦ ἵππου γραφίῳ ἐπιγράψειϲ, εὐθέωϲ ἰαθήϲεται.

**13.** Item cohaerent Pelag. c. VII. p. 40 et Hipp. p. 37, c. 201.

| | |
|---|---|
| Aliud de experimento: nomen domini in dextera ungula dolentis equi aut servus aut quilibet alius scribat. | Πρὸϲ αὐτό. Γράψον εἰϲ τὴν ὄνυχα τοῦ πάϲχοντοϲ ποδὸϲ τοῦ ζῴου *τὸ ὄνομα τοῦ ἰδίου δεσπότου.* |

**14.** Pel. app. p. 109. Ad tortiones hoc facito: nomen domini de atramento in ungula pedis dextri prioris scribe et quid sit[1]), cui scribis. remediabis.

**15.** Anecdot. lat. ed. Piechotta[2]), no. 201 ... scribis et nomen ipsius qui dolet.

---

1) ‘quid sit’ significat, ut genus bestiae aegrotae inscribatur, velut ecus, asinus, bos etc. Ita saepe postulatur a medico praecantante; cf. Marc. XXVIII 74. si iumenta carminabis, ‘intestinorum mulinorum vel equorum vel asinorum dices.’

2) Anecdotum latinum e cod. Voss. L. Q. 9. ed. Piechotta. Progr. Gymn. Leobschütz. 1888.

**16.** ib. no. 189. Ad fugitivos in charta scribit dominus manu sua sivę domina manu sua sinistra nomen fugitivi....

Etiam in amatoria magia apud Lucianum (dial. meretr. IV 5) Syra maga anus relictos calceos amatoris suffit et nomen eius et meretricis pronuntiat.

**17.** Ταύτας (sc. κρηπῖδας αὐτοῦ) κρεμάσασα ἐκ παττάλου ὑποθυμιᾷ τῷ θείῳ, πάττουσα καὶ τῶν ἁλῶν ἐπὶ τὸ πῦρ, ἐπιλέγει δὲ *ἀμφοῖν τὰ ὀνόματα καὶ τὸ ἐκείνου καὶ τὸ σόν.*

Huic usui nomen aegri dicendi simillimum illud genus incantationum: 'remedium facere morboso aut morbo cuidam', quae verba haud rara sunt.

**18.** Plin. XX 151. Aiunt et lieni mederi eam (sc. mentam) in horto gustatam ita ne vellatur, si is qui mordeat dicat se lieni mederi, per dies IX...

**19.** ib. XXI 166. Magi multum quidem iis (sc. anemonis) tribuere, quamprimum aspiciatur in anno tolli iubentes dicique colligi eam tertianis et quartanis remedio...

**20.** ib. XXI 176. Magi contra tertianas sinistra manu evelli eam (sc. herbam parthenium) iubent dicique, cuius causa vellatur, nec respicere....

**21.** ib. XXII 50. Folium eius (sc. herbae pseudoanchusae) sinistra decerpi iubent magi, et cuius causa sumatur dici tertianisque febribus adalligari.

**22.** ib. XXIII 103. Radix eorum (sc. malorum) circumscripta terra manu sinistra capitur, ita ut qui id faciet dicat, quare capiat et cuius causa; sic adalligata strumis medetur.

**23.** ib. XXVI 116. Buglosso inarescente, si quis medullam ex caule eximat dicatque ad quem liberandum febri id faciat et alliget ei septem folia ante accessionem, aiunt febri liberari...

**24.** ib. XXVII 140.... Praecipitur ut qui colligat (sc. θλάσπι vel νᾶπυ περσικόν) dicat sumere se contra inguina et contra omnes collectiones et contra vulnera, una manu tollat.

**25.** ib. XXVIII 86.... Ex homine siquidem resigmina unguium e pedibus manibusque cera permixta, ita ut dicatur tertianae, quartanae vel cotidianae febri remedium quaeri, ante solis ortum alienae ianuae adfigi iubent...

**26.** ib. XXX 51. Pecudis lien recens magicis praeceptis super dolentem lienem extenditur dicente eo qui medeatur lieni se remedium facere. post hoc iubent in pariete dormitorii eius tectorio includi et obsignari anulo ter novies carmenque dici.

Ex Plinio hoc medicamentum in Ps. Plin. II 13 p. 56 R. et Marc. XXIII 47 fluxit. Eadem carminis verba adhibentur Marc. XXIII 70: ʻlieni remedium facioʼ.

**27.** ib. XXX 101. Erucam in linteolo ter lino circumdant totidem nodis ad singulos dicente quare faciat qui medebitur, limacem in pellicula....

**28.** ib. XXIV 181. Ieiunum esse debere qui colligat, sic abire in domum absentis cui medeatur supervenientique ter dicere, ieiuno ieiunum medicamentum dare.

**29.** Marc. I 54. Ante portam lapillos (a. l. capillos), qui in via iacebunt, quot volueris collige dicens tecum ipse ad capitis dolorem te remedium tollere.

**30.** ib. XV 103. Ad ea, quae faucibus inhaerebunt, remedium .... convertens vero titionem ter dices remedii gratia te facere, ut illud quod haeserit in faucibus tuis vel illius, quem peperit illa[1]), sine mora et molestia eximatur.

**31.** Ps. Apuleius de virt. herb. XIX 4 (p. 176 Ackermann). Herbam proserpinacam ... circumscribes aureo anulo et dices: tollere te remedium oculis...

---

1) Haec verba ʻquem peperit illaʼ haud raro inveniuntur, quae praeter hunc locum Marc. XX 66 et XXXVI 70 habet, cf. Hipp. p. 123, c. 979. Lex erat magorum, matrem in carminibus nominari, loco vocabuli ʻillaʼ scilicet verum matris nomen substituendum est; sed nomen patris magi non postulabant, quod multi ἀπάτορες, ut ait Wessely, ignorabant. Exempla huius usus in tabulis multa exstant: Hermes IV 282, CIG III 5858b = Kaibel Inscr. graec. Sicil. Italiae. 872 = Rhen. mus. XVIII p. 562; cf. lamina argentea edita a Koppio pal. crit. IV p. 388 sq., retractata a Wiedemanno ʻDie gnostische Silbertafel von Badenweiler, Bonner Jahrbb.ʼ LXXIX p. 215 sq., Wessely ʻZu den Papyri des Louvreʼ Vindobonae 1889 p. 5 sq., Noeldeke: ʻDas Märchen vom Doctor und Garkochʼ p. 33 in ʻAbhandl. der Berliner Akademieʼ 1891. Etiam in papyris hoc praeceptum magicum observatur; vide Wesselyi indicem p. 43 in ʻGriechische Zauberpapyri von Paris und Londonʼ s. v. τῆς Δ̣ = τῆς δεῖνα, veluti Pap. Par. fol. 22 v. 1915: ἄξόν μοι τὴν δεῖνα τῆς δεῖνα ἐμοὶ τῷ δεῖνα τῆς δεῖνα, fol. 5 v. 351: ... τὸν δεῖνα ὃν ἔτεκεν ἡ δεῖνα. Atque etiam hanc formam in gemma insculptam invenimus: cf. Koehler in ʻMémoires de l'académie de St. Pétersbourgʼ VI ser. t. III p. 12. Τάϲϲον τὰν μήτραν τῆϲ δεῖνα εἰϲ τὸν ἴδιον τόπον [o] τὸν κύκλον τοῦ Ἡλείου, cf. Montfaucon ʻl'Antiqu. expl.ʼ II 2 p. 372.

**32.** ib. XXIV 1. Ad oculorum vitia atque labores. herbam chamaemelon si quis ante solis ortum carpserit et dicat: 'ad albuginem oculorum te carpo, ut subvenias' et eam alligatam secum gestet, iuvat.

**33.** ib. XCI 2. Ad colubri morsum; herbam ebulum tene et antequam succidas eam, ter novies dices: 'Omnia mala bestiae canto' atque eam ferro quam acutissimo e limo secundum terram trifariam praecidito et id faciens de eo cogitato, cui medeberis .....

**34.** Sext. Placit. Papyriensis XVII 19 (p. 56 ed. Ackermann). Ad febres acerrimas. a vestigio spadonis discedentis a ianua si sustuleris quodlibet, dicens: 'tollo te ut ille Gaius febribus liberetur'. Nominabis eum, ad cuius brachium suspensurus es, ad id vero loqueris, ad quod sustuleris. (Graius. v. l.)

Interdum magica actio cum votis aut precationibus coniungitur, quae ab incantamento non differunt; Marcelli loci eam ob causam commemorandi sunt:

**35.** VIII 27. Dolorem oculorum ut anno integro non patiaris..... de tribus cerasiis lapillos pertundes et Gaditano lino inserto pro phylacterio uteris, voto prius facto contra solem orientem, quod eo anno cerasia non sis manducaturus.

**36.** VIII 29. Vitandae perpetuo lippitudinis gratia observa... .... tum conversus ad orientem rogabis deum, ut eo anno dolere oculos tuos non sinat.

**37.** VIII 30. Cum primum[1]) hirundinem audieris aut videris, tacitus ilico ad fontem decurres vel ad puteum et inde aqua oculos fovebis et rogabis deum, ut eo anno non lippias, doloremque omnem oculorum tuorum hirundines auferant. cf. Marc. XXIII 68 infra p. 487.

Alius locus, qui iam supra afferendus erat, apud tres eosdem scriptores iisdem fere verbis invenitur.

**38.** Plin. XXVIII 48, Ps. Plin. II 21 p. 64R., Marc. XXXII 18—21. Plini verba haec sunt: Inguinibus medentur aliqui liceum telae detractum alligantes novenis septenisve nodis, ad singulos nominantes viduam aliquam atque ita inguini adalligantes.... Marcellus addit: 'nominabis singulas anus viduas et singulas

1) Multum valet superstitiosis res, animal, fructus, quem quis primum eo anno videt aut edit; cf. Marc. VIII 27 Cerasia prima, VIII 60 antequam uvam gustes..., cf. XIV 52, VIII 63 cucumis primus, XII 46 hirundo prima, XXXIV 24 mora agrestia, antequam ullius generis morum comederis....

feras' .... cf. Theod. Prisc. IV p. 313[r] ad capitis dolorem: papyrum tenes in manibus tuis et nominas septem viduas quas nosti et facis septem nodos in eo et in fronte ligabis.

Huc pertinet etiam

**39.** Theod. Prisc. IV p. 312[v]. Ad colum in balneo posteaquam te lotus per sabana vestiveris et sederis, dicito intra te: 'Per te, diacholon diacholon diacholon.'

i. e. διὰ κῶλον, quod idem valere puto, quod 'remedium facio colo'.

## II. Evocationes morborum.

Inter numerum incantamentorum, quae contra morbos malaque salubria sunt, maxime inveniuntur evocationes, ut ita dicam, vel excantationes morbi, qui quasi daemon a populo in corpore laboriosi habitare putatur. Morbos inter deos relatos esse, e Plinii (nat. hist. II 15) verbis elucet: *nomina alia aliis gentibus et numina in iisdem innumerabilia invenimus inferis quoque in genera discriptis morbisque et multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus. ideoque etiam publice Febris fanum in Palatio dicatum est* ..... de dea Febri cf. Cic. de nat. deor. III 63, de legg. II 28. Mefitis, dea sulfureorum et noxiorum odorum, colitur in luco (Tac. hist. III 33, Plin. II 208, Varro de l. l. V 49) et in aede (Fest. p. 351). Eandem ob causam certe ἐπίληψις 'ἱερὰ νόσος' vocabatur et febres quartanae Saturni filiae habebantur; cf. Preller 'Röm. Mythol.' II 240, Buresch 'Klaros' p. 23 sq. Hac igitur opinione fit, ut incantator morbum perspicue adhortetur, ut e corpore evadat et aegrotum relinquat.

**40.** Marc. XV 11. Praecantabis ieiunus ieiunum tenens locum, qui erit in causa, digitis tribus id est pollice, medio et medicinali, residuis duobus elevatis dices: 'Exi si[1]) hodie nata si ante nata, si hodie creata si ante creata, hanc pestem, hanc pestilentiam, hunc dolorem, hunc tumorem, hunc ruborem, has

1) 'exi' praebet codex, quod Buecheler in Mus. Rhen. XXXIV p. 344 emendari vult 'si hodie', iam in 'Schedis philologis Hermanno Usener oblatis' p. 134 proposui 'exi si'. haec formula antiqua disiunctiva in his carminibus saepe exstat; ut morbus rectus e corpore eiciatur, recto suo nomine evocandus est; cf. Pelag. XIX p. 74 .... '*si tortionatus, si hordiatus, si lassus, si calcatus, si vermigeratus* .... Garg. Mart. de cura boum § 19. *si tuber, si panus* ... Aet. Amid. VIII 50 p. 165[r]. εἴτε ὀστοῦν ἢ κάρφος ἢ ἄλλο ὁτιοῦν, Hippiatr. p. 33, c. 156 εἴτε ἀπὸ λίθου εἴτε ἀπὸ ξύλου εἴτε ἀπὸ κυνοδήκτου. Similis hic est usus in veteribus precationum formulis; cf. Lasaulx 'Gebete der Griechen' l. c. p. 142 adn. 21—23, veluti '*si deus si dea es*' Fest. p. 272, '*sive tu Lucina probas vocari seu Genitalis*' Hor. carm. saec. 15. Ita artissime haec superstitio cum religione coniuncta est.

toles[1]), has tosillas, hunc panum, has paniculas, hanc strumam, hanc strumellam, hanc religionem evoco, educo excanto de istis membris, medullis.'

Fortasse 'hac religione evoco' legi potest, ut Bernays in schedulis manuscriptis a bibliotheca Bonnensi adservatis coniecit.

**41.** Marc. XXXI 33. Luna XIII hora VIII antequam exeant vel erumpant mori arboris folia, oculos tres tolles digitis medicinali et pollice manus sinistrae et in oculis singulis dices: 'absi absa phereos' mittesque in coccum Galaticum et in phoenicium lino conchyliatae purpurae conligabis et dices: 'tollo te hinc totam, haemorhoida, absis paphar' et nudum eum, cui remedio opus est, praeligamine illo cinges.

Sed Cornarius et Grimm[2]), qui alium codicem usurparunt, quam Laudinensem 420 Helmreichii, editoris novissimi, verba ita habent: 'tolle te hinc, tota haemorrhoida, absis paphar'. tamen sententia plane eadem est.

**42.** Marc. XXXVI 70. Carmen idioticum, quod lenire podagram dicitur, sic ..... dices: 'fuge fuge, podagra et omnis nervorum dolor de pedibus meis et omnibus membris meis' aut si alii praecantas, dices 'illius quem peperit illa' .... cf. Garg. Mart. de cura boum 19 (ed. Schuch.) et si tuber, si panus, evalla (sc. te), cf. infra p. 493.

**43.** Hippiatr. p. 15, c. 19. Ἐπαοιδὴ πρὸς μᾶλιν κτηνῶν. *Μᾶλι ἀρθρῖτ' ἀρθριτικὴ κωφὴ ἑλληνικὴ δειρὰ ξηρὰ κυνικὴ ἀπουριτικὴ ταυρικὴ οὐ μή μου περιγένῃ, ἐπαΐζω σε.*

Pro verbo ἐπαΐζω legi oportet ἐπᾴδω, an ἐπᾴζω, intensivum verbi ἐπᾴδω?

**44.** ib. p. 138, c. 1093. Περὶ δοθιῆνας (i. e. furunculos). Ἐὰν δοθιῆνας ἔχῃ ἵππος πρὸς τὸ τοῦ ποιοτροφήσει (sic) τοῖς τρισὶ δακτύλοις κρατῶν εἰπέ· *Ἐργάζομαί σε.*

**45.** ib. p. 123, c. 979. Ἀψύρτου πρὸς βασκοσύνην. *Βαῖνε νεμέσωθ' ἔξελθε ἀπόστηθι ἀπὸ τοῦ περιαπτομένου ἵππου οὗ ἕνεκεν ἡ ἰδία μήτρα, βασκοσύνη, ὅσον γῆ ἀπέχει οὐρανοῦ.*

Latet sine dubio νεμεσῶ σ', ut ad similitudinem verbi δυσωπῶ σε (cf. ad St. Theodos. p. 157 ed. Usener), cum alias postulet dativum. Hoc carmine fascinus eodem modo quo morbus e corpore bestiae excantatur.

**46.** Similis est locus, quo mures e campis expelluntur, Geop.

1) *toles* ut ait Isidor. XI 1, 57, *Gallica lingua dicuntur, quas vulgo per deminutionem tusillas vocant, quae in faucibus turgescere solent.* qui locus e Marcelli cantione pendere videtur. 'toles' praeterea invenitur apud Ser. Samm. v. 293, Marc. XV 67, 88, 92.

2) I. Grimm: 'Über Marcellus Burdigalensis' in 'Kleine Schriften' II p. 114 sq.

XIII 5, 4. *Ἐξορκίζω μῦς τοὺς ἐνταῦθα καταλαμβανομένους, μή με ἀδικήσητε αὐτοὶ μήτε ἄλλον ἐάσητε· δίδωμι γὰρ ἀγρὸν ὑμῖν τόνδε (καὶ λέγεις ποῖον)· εἰ δὲ ὑμᾶς ἔτι ὧδε ὄντας καταλάβω, παραλαβὼν τῶν θεῶν τὴν μητέρα*[1]) *διαιρήσω ὑμᾶς εἰς μέρη ζ'*.

**47.** Theophanes Nonnus, de curatione morborum ed. Bernard. II p. 307, cap 266 sequitur, quod in uno codice: Πρὸς τὸ ἀπολέσαι μυῖας traditur, in altero Vindobonensi: Ἄλλως. γράψον *ἐξηφόρε* καὶ θυμίασον τὸ πιττάκιον χαλβάνιν καὶ δύνοντος τοῦ ἡλίου δῆσον εἰς τὴν δεξιὰν θύραν καὶ τοὺς χαρακτῆρας τούσδε (secuntur signa septem planetarum).

Codex Coislinianus praebet ἐξιφόρε, sed legendum est ἔξι φόρας = exi foras.

**48.** Morbo averruncando vel expellendo fortasse etiam inserviisse graeca vocabula, quae exhibet frustulum chartae Aegyptiae, quod edidit Tischendorf cod. Sinait. tab. XX 7, recte Bergk in poet. lyr. graec. vol. III$^4$ p. 665 observavit. Verba sunt haec:

*ἐκτείνει περικεφαλαία βύρσα, ἐκτός ἐκτός νόσ*[ος], *συγχεῖ πώγων ἠΐθεος ἡμίθεος.*

ΗΜΙΞΕΟϹ traditum est, -οc in vocabulo νόcοc supplevi.

Non multum differunt ab hoc genere incantamentorum, quae morbum e corpore morboso eliciunt, illa carmina, quibus morbi admonentur a superstitiosis, ne crescant neve doleant, veluti

**49.** Plin. XXVII 131. Circa Ariminum nota est herba, quam resedam vocant; discutit collectiones inflammationesque omnes. qui curant ea, addunt haec verba: 'reseda, morbis reseda, scisne scisne, quis hic pullus egerit radices?[2]) nec caput nec pedes habeant.' haec ter dicunt totiensque respuunt.

Morbus cum pullo, surculo plantae parasiticae (cf. Cato rer. rust. 51, 1. 133, 1), comparatur atque ne sursum neve deorsum crescat, a mago oratur.

**50.** Marc. VIII 191. Si in dextro oculo varulus erit natus, .... dices: 'nec mula parit, nec lapis lanam fert; nec huic morbo caput crescat aut si creverit, tabescat.'

**51.** ib. XV 101. Carmen mirum ad glandulas sic: 'albula glandula, nec doleas, nec noceas, nec paniculas facias, sed liquescas tamquam salis in aqua.' hoc ter novies dicens spues

1) Cybele, deorum mater, saepe invocatur in artibus magicis, cf. Diodor. III 58. καθαρμοὺς τῶν νοσούντων κτηνῶν τε καὶ νηπίων παίδων εἰσηγήσασθαι. διὸ καὶ τῶν βρεφῶν ταῖς ἐπῳδαῖς σῳζομένων .... αὐτὴν (sc. Κυβέλην) ὀρείαν μητέρα προσαγορευθῆναι, cf. Dio Chrysost. I p. 12 (ed. Dindorf.) incantamenta ὑπὲρ καρπῶν καὶ βοσκημάτων γενέσεως καὶ σωτηρίας a pastoribus et agricolis usurpata, cf. ib. II p. 31 Dind.

2) Cf. Garg. Mart. 19. *subula neceris nec radices agas;* infra p. 493

ad terram et glandulas ipsas pollice et digito medicinali perduces, dum carmen dicis; sed ante solis ortum et post occasum id facies, prout dies aut nox minuetur.

**52.** ib. XVIII 30. De paronychia parietem continges et rursum digitum ducens dices ter: ‘pu pu pu, numquam ego te videam per parietem repere.’

‘pu pu pu’ averruncantis tamquam flatus videtur, ut Buecheler dicit (mus. Rhen. XXXIV p. 345).

**53.** ib. XXIX 23. Anulus de auro texta tunica fit exusta, cui insculpitur vice gemmae piscis aut delfinus, sic ut holochrysus sit et habeat in ambitu rutunditatis utriusque, id est interius et exterius graecis litteris scriptum:

*Θεὸς κελεύει μὴ κύειν κόλον πόνους* .......

Cf. infra p. 549.

**54.** Theod. Prisc. IV p. 314ᵛ. Ad strophum dicis haec verba: ‘quid irasceris? quid sicut canis iactas te? quid sicut lepus resilis? quiesce intestinum et sta crocodile.’[1])

Cf. Marc. X 35 in carmine utili profluvio muliebri: ‘adiuro te matrix, ne hoc iracunda suscipias.’

**55.** Huc pertinet etiam Varronis remedium (rer. rust. I 2, 27 Keil) e Sasernae libro allatum:

Cum homini pedes dolere coepissent, qui tui meminisset, ei mederi posse. ‘ego tui memini, medere meis pedibus; terra pestem teneto, salus hic maneto in meis pedibus.’ hoc ter noviens cantare iubet, terram tangere, despuere, ieiunum cantare.

## III. Minae.

Cum illis evocationibus morborum e corporibus aegris saepe coniunguntur minae; dicit enim homo incantans daemoni[2]) morbi bestiam feram quandam aut daemonem aut tale quid validius morbo ipso instare, quo celerius expellatur e membris.

**56.** Ps. Plin. III 15 p. 89 R. Ad quartanas: In charta virgine

1) Hoc vocabulum ‘crocodile’, quod per metathesin fit ‘corcodilus’ (cf. Ritschl. opusc. II 536 sqq.), fortasse derivatum est a verbo ‘corcus’ = κορκορυγή et κορκορυγμός ‘Kollern im Leibe’; cf. Schuch. ad Garg. Mart. p. 33. § 18. ‘crocinari’ et ‘corcinari’ i. e. corco laborare.

2) Daemones timidi putabantur, cf. Sittl ‘Die Gebärden der Griechen und Römer’ p. 116 adn. 6 et 7.

scribis, quod in dextro brachio ligatum portet ille qui patitur: 'recede ab illo Gaio Seio[1]), Solomon[2]) te sequitur.'

57. Alex. Trall. II p. 377. Contra colicum dolorem. Λαβὼν δακτύλιον cιδηροῦν ποίηcον γενέcθαι τὸ κρικέλλιον ὀκτάγωνον καὶ οὕτωc ἐπίγραφε εἰc τὸ ὀκτάγωνον·

*φεῦγε φεῦγ', ἰοῦ χολή, ὁ κορυδαλός σε ζητεῖ,*

τὸν δὲ χαρακτῆρα τὸν ὑποκείμενον γράφε εἰc τὴν κεφαλὴν τοῦ δακτυλίου ℋ aut N (with four small circles) [3]).

codd. φεῦγε ἰοῦ et κορυδαλὸc ἐζήτει tradunt, sed metri causa, de quo vide infra p. 550, ita scribendum est.

58. Marc. VIII 193. Hoc remedium efficax (sc. hordeolis): grana novem hordei sumes et de eorum acumine varulum punges et per punctorum singulas vices carmen hoc dices: *φεῦγε φεῦγε, κρείων σε διώκει.*

Ita cod. Laud., sed Corn. edidit ita: φεῦγε φύγε, κριθή cε διώκει. Hunc versum Carolus Dilthey in 'Archaeol.-epigr. Mittheil. aus Oesterreich' II p. 49 adn. 10 sic emendare conatus est: φεῦγε φεῦγε κριθή, κριθή cε διώκει. Quamquam haec emendatio probabilis esse videtur, cum grana hordei propter cυμπάθειαν contra hordeolos utilia sint (κριθή enim et hordeolus et noster 'Gerstenkorn' non solum granum, sed etiam oculi ulcus significat), tamen melius mihi videtur, quod iam in 'schedis philologis' p. 131 proposui, duas lectiones coniungi et legi: φεῦγε φεῦγε κριθή, κρείων cε διώκει; fortasse melius legitur κρείττων, quo nomine deum aut heroa indicari notum est.

Duae gemmae, quae similem incantationem continent, hoc loco afferendae sunt; unam, in qua Perseus caput Medusae tenens effigitur, cum inscriptione ad morbum expellendum:

---

1) Gaius Seius non est nomen proprium, quod nonnulli putant, sed idem ut graece, ὁ, ἡ δεῖνα, nostrum N. N. cf. Marc. XXI 3, S. Plac. Pap. XVIII 19 p. 56 A. *ille Graius* aut *Gaius* idem est, Wesselyi index ad pap. mag. p. 43; cf. Plut. quaest. Rom. 30, Dilthey mus. Rhen. XXVII p. 403.

2) Salomo, sapientissimus rex et magus veteris testamenti, magnam auctoritatem in his nugis habuit et nostra aetate habet (cf. Wuttke 'Deutscher Volksaberglaube' § 230) atque ipse incantamenta composuit: Ioseph. ant. Iud. VIII 2, 5 (§ 45 N.); cf. Dieterich 'Abraxas' p. 141 sq., prol. ad pap. mag. p. 755. Gemmam cum Ιαω Cολομων Cαβαω inscriptione descripsit Kopp. pal. crit. III § 493; cf. Pap. Par. v. 850 et 3040.

3) Hoc signum est Gnosticorum diagramma, ut docet Spengel in libro 'Geschichte der Arzneikunde' Halis Saxonum 1800 vol. II p. 197. exempla vide apud Kingium 'Ancient gems' I p. 378 in epitaphio apud villam 'Massini' reperta et Koppium in pal. crit. IV 791, ubi gemma magica edita est. Alia obscura figura, quae item Gnosticis tribuenda est, exstat in eadem gemma a Koppio l. c. IV § 791 descripta: o~~ZZZ~~o vel III § 337: ~~SSS~~; cf. Marc. XXIV 7: *in lapide iaspide Phrygia aerizusa si nota infra scripta insculpta fuerit, id est* 555, *et collo dolentis latus fuerit suspensus, mire proderit.*

**59.** *φύγε ποδάγρα, Περσεύς σε διώκει.*
ediderunt Stephani in libro 'Apollon Boedromios' tab. IV et Leblant 'Rev. archéol.' 1883 p. 306; altera, quam Chr. Lenormant 'Rev. archéol.' III (1846) p. 510 descripsit, est gemma, 'Abraxas' quae vocatur, in cuius una parte Hecate triformis cum inscriptione Ιαω Αβραcαξ, in altera Hercules Nemeum leonem opprimens exsculpti sunt et verba inscripta:

**60.** ΑΝΑΧΩΡΙ ΚΟΛЄ ΤΟ ΔΙΟΝ CЄ ΔΙΟΚЄΙ = *ἀναχώρει χολή, τὸ θεῖόν σε διώκει.*
a Lenormantio emendata; infra Herculis effigies et tria mystica signa K K K et ✿ inveniuntur, quae K Lenormant interpretatus est esse litteras initiales vocabuli 'Κωλική', sed mihi persuasum non est, multo magis Koppio, homini in his superstitiosis versatissimo, credo, qui nonnullas gemmas, in quibus eadem imago viri leonem interficientis incisa est, expressit (l. i. IV § 728—732, cf. Alex. Trall. II p. 377) et demonstravit Κ = ק e lingua Hebraeorum derivandum esse atque קקק, initium verbi קדש, significare ἅγιοc ἅγιοc ἅγιοc, quod saepissime invenitur in incantamentis iudaicis.

Numerus horum amuletorum nuper auctus est a Schlumbergero, qui in 'Revue des études grecques': 'Amulettes Byzantins anciens destinés à combattre les maléfices et maladies' V (1892) p. 73 sq. nova edidit.

**61.** ib. no. 1 tabella cum hac inscriptione in parte antica:
*Σφραγὶς Σολομῶνος. ἀποδίωξον πᾶν κακὸν ἀπὸ τοῦ φοροῦντος.* et verbum Φ(θ)όνος;
in parte postica:
*Φεῦγέ με, μισουμένη, Σολομών σε διώκει, Σισίννιος Σισιννάριος.* (μιcιμενι scriptum est; fortasse legendum est φεῦγε, μεμιcημένη.)

**62.** ib. no. 2. † *Φεῦγέ με, μισουμένη, Ἀρλὰφ ὁ ἄγγελός σε διώκει.* et *Σφραγὶς Σολομῶνος, φυλάττε τὸν φοροῦντα.*

**63.** ib. no. 3. [† *Φεῦγε μ*]*ε μισουμένη, διώκει σε ὁ ἄγγελος Ἀρχάφ* (aut *Ἀρλάφ*) *καὶ Οὐριήλ, φεῦγε μισ*[*ουμένη*]. infra: *Χριστὸς νικᾷ σε* et *Ἐμμα*[*νουή*]*λ θε*[*ός*].

**64.** Marc. XIV 67. Ad dolorem uvae scribes in charta et collo laborantis linteolo suspendes: 'formica sanguinem non habet nec fel, fuge uva, ne cancer te comedat.'

**65.** Hippiatr. p. 15 sq., c. 22. Ποτὸν πρὸc μᾶλιν ..... προcφυcῶν[1]) λέγε *φεῦγε οὖν, κακὴ μᾶλι, διώκει σε Ποσειδῶν.* καὶ ταῦτα·

---

1) Spiritus usque ad nostra tempora in superstitiosis negotiis multum valebat, praecipue daemones ita depelluntur. cf. Dieterich 'Abraxas'

*τρὶς ἑπτὰ θαλάσσια ζῷα, ἄρκοι ἑπτά, λέοντες ἑπτά, δελφῖνοι ἑπτὰ ἐδίωκον τὴν ἀγρίαν μᾶλιν.*

Post δελφῖνοι supplevi ἑπτὰ propter congruentiam aequalitatemque. μάλι cod. τρεῖς cod., τρὶ Miller. τ' ἄρκοι cod., τ' delevit Usener. Rectius emendavit Ludovicus Radermacher amicus ζῷα, ἑπτὰ ἄρκοι, ἑπτὰ λέοντες... in τ' ante ἄρκοι latet ζ' i. e. ἑπτά.

**66.** Atque Marc. XXI 2, si Grimmii lectionem praeferimus ('Kleine Schriften' II p. 134, cf. 'Deutsche Mythologie' II⁴ p. 1032, Welcker l. i. p. 81, Keuchen prol. ad Ser. Samm. p. 64), minas morbo ostendit:

Ad corcum carmen in lamella stagnea (= stannea) scribes et ad collum suspendes haec, ante vero etiam cane:

'corcu (corce?) nec megito (l. mejito) cantorem
ut os ut os ut os,
praeparabo tibi vinum, leva
libidinem, discede a nonnita.
in nomine dei Iacob, in nomine dei Sabaoth.'

Cod. Laudunensis praebet: 'ante cane corcu ... vinum leve, libidinem'. Alio loco scripsit Grimm: cave corcu ne mergito cantorem, pariter Keuchen l. c., recte a Grimmio iam emendatum esse finem carminis puto: praeparabo tibi vinum, leva libidinem, discede a nonnita[1]) eqs. Pro vocabulis 'ut os, ut os, ut os' legendum esse 'ut hos, ut hos, ut hos' Usener monet, et hoc loco quidem nomina aliorum, qui a corcu merguntur, nominanda sunt, ut supra p. 475, Plin. XXVIII 48; de forma rhythmica carminis vide infra p. 546.

**67.** Minas continet incantatio ab Apuleio (Met. I 13) tradita, ubi spongiam, qua vulnus operitur, Panthia sic adloquitur:

'Heus tu, spongia, cave in mari nata per fluvium transeas.'

**68.** Carmen cantharidibus expellendis ad impetiginem sanandum translatum est, quod Plinius XXVII 100 promit, haud scio an eodem minarum genere utatur:

Lapis vulgaris iuxta flumina fert muscum siccum, canum. hic fricatur altero lapide addita hominis saliva, illo lapide tangitur impetigo, qui tangit, dicit:

*Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος αἷμα διώκει.*

αἷμα codd., proclivis est Meinekii coniectura ὔμμε; cf. Grimm 'Kleine Schriften' II 146 et Bergk P. L. G. III⁴ p. 665. Sed hoc incantamentum etiam ad illud genus referri potest, quo similia eis, quae optantur, sive ex rerum natura sive ex fabulis petita componuntur; cf. infra p. 484 sq.

---

p. 141 adn., Sittl 'Gebärden' p. 121 et Wuttke l. c. § 251 et m. a. Magi Aegyptiaci morbos exsufflantes ab Orig. c. Cels. I 68 commemorantur et apud Lucianum (Philops. 12) serpentes et dracones ita comburuntur: ἐνεφύσησε μὲν αὐτὰ ὁ Βαβυλώνιος, τὰ δὲ αὐτίκα μάλα κατεκαύθη ἅπαντα ὑπὸ τῷ φυσήματι.

1) Nonnita, ut Grimm adnotat, significat 'Mädchen', non 'Nonne'; nonna invenitur apud Orellium inscr. 2815.

## IV. Incantamenta, quibus mala in alias res transferuntur.

Sed videamus alia carmina superstitiosa! Illam sententiam, quae in universa magia haud parum valet, morbum superstitiosis vanisque experimentis in alium, praecipue in animalia et arbores transferri[1]) posse et in flumen inici et in terram defodi, quae laboriosi loco doleant vel moriantur vel morbum obruant, etiam incantamenta habent.

**69.** Ps. Plin. III 15 p. 89 R. Ad quartanas .... item panem et salem in linteo de licio alliget et circa arborem licio alliget et adiuret ter per panem et salem: 'crastino hospites mihi venturi sunt, suscipite illos.' hoc ter dicat.

Cf. remedium par contra verrucas, quod Marcellus XXXVI 102 habet, sine ulla quidem incantatione. — Ut hexametrum restituat, scribit Usener:

cras hostes mihi venturi sunt: suscipite illos!

**70.** Marc. XII 24. Dolorem (sc. dentium) rumpes, cum calciatus sub divo supra terram vivam stans caput ranae adprehendes et os aperies et spues intra os eius et rogabis eam, ut dentium dolores secum ferat et tum vivam dimittes et hoc die bono et hora bona facies.

**71.** ib. XXII 41. Lacertam viridem prende et de acuta parte cannae iecur ei tolle et in phoenicio vel panno naturaliter nigro alliga atque ad dextram partem lateris aut brachii laboranti epatico suspende, sed vivam lacertam dimitte et dicito ei: 'ecce dimitto te vivam; vide, ut ego quemcunque hinc tetigero, epar non doleat.'

**72.** ib. XXIX 35. Lepori vivo talum abstrahes pilosque eius de sub ventre tolles atque ipsum vivum dimittes .......... quod si ita ventri laborantis subligaveris, plurimum proderit, ut sublata lana leporem vivum dimittas et dicas ei, dum dimittes eum: 'fuge fuge, lepuscule, et tecum aufer coli dolorem.'

Quamquam Marc. XX 66 plane non huc pertinet, tamen hoc loco afferatur:

**73.** Remedium physicum magnum adversum dolorem stomachi. in lamina argentea scribes et dices: Aritmatho aufer dolores stomachi illi, quem peperit illa. eandem laminam lana ovis vivae involutam collo de licio suspendes et id agens dices: aufer mihi vel illi stomachi dolorem Aritmatho[2]) (cod.: Ariotho).

---

1) Cf. Grimm D. M. II⁴ p. 979 sq., qui nonnullos Plinii locos de hac superstitione affert; sed addi possunt innumerabiles e medicis; cf. Wuttke l. i. § 482 sq. et Mannhardt 'Wald- und Feldkulte' I p. 14 sq.

2) Aritmatho quid sit, mihi clarum non est; Grimm l. c. p. 150, qui arithmato legit, e gallico 'ardhmhath' verbo = τὸ ἀγαθὸν δαιμόνιον vel summum bonum intellegi vult.

74. Plin. XXVIII 155. ... Quin etiam si quis asino in aurem percussum a scorpione se dicat, transire malum protinus tradunt. — Quod medicamentum inde in Geoponicorum corpus translatum est, ubi duobus locis XIII 9, 6 et XV 1, 25 exstat: Δημόκριτός φησι, τὸν πληγέντα ὑπὸ σκορπίου καὶ εὐθέως εἰπόντα τῷ ὄνῳ *σκορπίος με ἔπληξεν* οὐκ ἀλγήσειν, τῆς ἀλγηδόνος εἰς τὸν ὄνον μεταβαινούσης. Atque etiam in librum 'Kirani Kiranides' inscriptum, de quo egerunt Meyer in 'Geschichte der Botanik' II p. 348 et Haupt in Philologo 1889, 48 p. 371 sq., receptum est: p. 90. 'quantum scorpio me percussit'.

Interdum morbi vinculis vinciuntur, ne morboso noceant. Exemplum praebet

75. Hippiatr. p. 37, c. 203: ἄλλο (πρὸς θλάσμα ἐν ποδί). λαβὼν κάνναβιν ποίησον κόμβους τρεῖς ἐπὶ ἑκάστου κόμβου λέγων· *εἰς θλαμίν σε ἐφεδεύω, ἀπολιθώθητι, ἀποξυλώθητι, ἀποκορδυλώθητι·* καὶ μετὰ τὸ δῆσαι τὰς γ' δήσεις[1]) (δέσεις proposuit Miller), περιτιθεὶς τὸ μεσοκύνιον τοῦ ζῴου, πάλιν ἀποδεσμῶν ἁπλαῖς δέσεσι γ' ταῦτα ἐπιλέγων καὶ τότε κόψας μαχαίρᾳ ῥίπτε χαμαί.

In θλαμίν latere vix potest nisi θλάσμην, eadem ratione declinatum ut χάσμη, cf. θλάσμα χάσμα. sic igitur legendum est: εἰς θλάσμην σε ἐφελκύω i. e. filum stuppeum necto in nodum.

## V. Similia similibus.

Opinio de vi atque potestate similium, quae his verbis 'similia similibus' breviter explicari potest, cum in universa arte magica tum in medicinali multum valebat. De hac re antiqui scriptores superstitiosi multum scripserunt et finxerunt, veluti Ps. Democritus et Nepualius[2]), quorum libri adhuc exstant: περὶ συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν. Per fictam quandam similitudinem vera mala depelli posse credebant homines, qui decipi volebant. Multa exempla affert Kopp (pal. crit. III § 511, 512, 516 sq., Wuttke § 477). Mira sunt commenta, quae hic superstitio et cogitatio vana creavit, veluti Geop. II 42, 2: εἰ δὲ θέλεις μηδ' ὅλως φανῆναι ταύτην τὴν βοτάνην

---

1) Usus nodorum in arte magica late diffusus erat, velut pap. Par. v. 331 ποιήσας ἅμματα τξε' λέγων ἀβρασαξ κατέσχες; in medicina haud raro συμβόλου ἕνεκα adhibetur: Plin. XXVIII 48, Marc. VIII 62, XXXII 18—21; de nodo Atlantio cf. Plin. XXVIII 99; saluberrimus in medicina erat nodus Herculis, de quo vide Plin. XXVIII 63 *vulnera nodo Herculis praeligare mirum quantum ocior medicina est. Atque etiam cotidiani cinctus tali modo vim quandam habere utilem dicuntur: quippe cum Hercules eum prodiderit;* cf. Oribas. de laqueis 8, Fest. p. 63 M., Macrob. I 19, 16. Etiam in Germanorum superstitione (cf. Wuttke § 180, 488 sq. etc.) invenitur.

2) Fabricius bibl. Graec. IV p. 296 et 333 eos edidit, denuo Gemoll in prog. Gymn. Striegau. 1884; cf. Geopon. XV 1.

(sc. λέοντος sive ὀσπρολέοντα) λαβὼν πέντε ὄστρακα, ζωγράφησον ἐν αὐτοῖς ἀπὸ κρηταρίου[1]) ἢ ἀπὸ ἄλλου τινὸς λευκοῦ τὸν Ἡρακλέα πνίγοντα λέοντα καὶ ἀπόθου ἐν ταῖς γωνίαις καὶ κατὰ μέσου. De quibus Herculis leonem suffocantis imaginibus in tabulis gemmisque haud raro repertis iam antea p. 481 dixi. Adversus κῶλον commendat idem remedium Alex. Trall. II p. 377. εἰς λίθον Μηδικὸν γλύψον Ἡρακλέα ὀρθὸν πνίγοντα λέοντα.... Simile est experimentum magicum ad uvas in vineto servandas, quod tradit Plinius XVIII 294. *Varro auctor est, si Fidiculae occasu, quod est initium auctumni, uva picta consecretur inter vites, minus nocere tempestates;* quod etiam Geopon. I 14, 10 sub Apulei Romani nomine et Geoponicorum versio Syriaca ed. Lagarde VII 7 habent. Atque in amatoria parte artis magicae hic usus 'similium' non deest, ut Theocr. II 28 sq. demonstrat:

ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω,
ὡς τάκοιθ' ὑπ' ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις.

quod Vergilius (ecl. VIII 80) accurate transtulit:

*limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit*
*uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.*

Sed ad medicinam vertamur, ubi hanc sententiam, similia similibus sanari, saepe videmus ab incantatoribus quoque observatam.

**76.** Plin. XXVIII 42. Partus accelerat hic mas, ex quo quaeque conceperit, si cinctu suo soluto feminam cinxerit, deinde solverit adiecta precatione se vinxisse, eundem et soluturum atque abierit.

**77.** Quibus similia affert Ovid. fast. III 255 de Lucina[2]), quae ad parturientem adeat:

dicite: 'tu nobis lucem, Lucina, dedisti,'
dicite: 'tu voto parturientis ades'.
si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
ut solvat partus molliter illa suos.

Eadem est actio et incantatio a Sexto Placito Papyriensi tradita (c. XVII 12 p. 55 Ackerm.).

**78.** Ut mulier concipiat. homo vir si solvat semicinctium

---

1) cod. κριταρίου, sed latet nomen latinum, (= stilo cretario).

2) Ad partum adiuvandum apud nutrices et obstetrices ἐπῳδαί florebant, ut e Platonis Theaet. 149 c elucet: καὶ μὴν καὶ διδοῦσαί γε αἱ μαῖαι φαρμάκια καὶ ἐπᾴδουσαι δύνανται ἐγείρειν τε τὰς ὠδῖνας καὶ μαλθακωτέρας ἂν βούλωνται ποιεῖν. . . Atque Ilithyia ipsa incantamentis usa est; cf. Ov. met. IX 298. *tacita quoque carmina voce Dixit.*

suum, et eam praecingat et dicat: 'ergo desinas: explica te laborantem.'

Sed caput 'ut mulier concipiat' non placet, fortasse errore scriptoris, quod antecedentia verba remedium continent, 'ut mulier non concipiat' ortum est, sed mea quidem sententia legendum est: 'ut mulier bene pariat'; atque praefero: 'explico te laborantem'; tamen totum incantamentum hiare videtur.

**79.** Plin. XXII 61. Magi heliotropium [in] quartanis quater, in tertianis ter alligari iubent ab ipso aegro precarique eum soluturum se nodos liberatum et facere non exempta herba.

**80.** Marc. XIV 26. Laboranti uvae haec cura succurit: De uva passa eliges granum, quod unum intrinsecus nucleum habeat, eumque in phoenicio alligabis et faucibus, id est in regione uvae, inseres et tenebis et dices: 'uva uvam emendat'; mox ipsum phoenicium supra verticem eius tenebis et idem dices cumque ter ipsum feceris et carminaveris, collo dolentis subligabis.

(sc. 'uva' i. e. fructus et 'uvam' i. e. faucium dolorem[1]).).

Hoc loco iterum similitudinis causa afferendum est Marc. VIII 193, quod supra p. 480 me emendasse puto: 'item hoc remedium efficax (sc. hordeolis): grana novem hordei sumes.... et carmen hoc dices: *φεῦγε φεῦγε κριθή, κρείττων σε διώκει.*'

Interdum remedia ex similitudine vocum et verborum, quae inter se non cohaerent, sumpta esse videntur, ut Marc. VIII 128. *Ad oculos scabros... saluber est scarabaeus pilosus*... et XXXVI 46. *Ad utramlibet podagram remedium sic: torpedinem vivam nigram.... subici pedibus oportet.... et tam diu premi, donec sentiatur torpor per totum pedem....* — Item luditur inter nomen plantae et imperativum verbi 'resedare' apud Plinium XXVII 131, quem supra p. 478 iam commemoravimus: reseda, morbis reseda.

Praeterea sunt exempla incantamentorum inserenda, in quibus alia res locum aegri vel incantati hominis tenet:

**81.** ib. VIII 199. Collyrium ad aspritudines oculorum tollendas et ad lacrimas substringendas......... quidam adiciunt huic collyrio viperam siccam et arefactam bene in sole,..... prius eam sic praecantabis 'ne lacrimus (sic!) exeat, ne extillet, ne noceat'. dices autem: 'quomodo tu non vides, sic et tuus sucus gustatus nulli noceat, sed ob rem, propter quam adiecta es, proficias bene curatione precor.'

**82.** ib. XI 25. Pusulae cum subito in lingua nascuntur, prius-

1) Ex hac sententia fortasse proverbium natum est, quod scholiasta ad Iuv. II 81. *uvaque conspecta livorem ducit ab uva* prodidit memoriae: hoc (sc. Iuvenalis verba) ex proverbio sumitur *uva uvam videndo varia fit*; cf. app. prov. 1 60. βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται et Apost. V 5.

quam idem loquaris, extremae tunicae qua vestiris ora pusulam tanges et ter dices: 'tam extremus sit qui me male nominat' et totiens spues ad terram, statim sanabere.

Haec incantatio pendet ex vetere opinione, illi, cui ab alio maledicatur, in lingua pusulas nasci, quae in germanica quoque superstitione nostra aetate viget, cf. Wuttke l. i. §§ 309, 421. atque etiam idem modus sanandi invenitur: 'Erkennt man durch Bläschen auf der Zunge, dass uns jemand verlästert, so beisst man in den linken Rock- oder Schürzenzipfel oder in den Ellenbogen, so beisst sich der Verläumder in die Zunge.'

**83.** ib. XIV 68. Araneam quae sursum versus subit et texit, prendes et nomen eius dices, cui medendum erit, et adicies: 'sic cito subeat uva eius, quem nomino, quomodo aranea haec sursum repit et texit'; tum ipsam araneam in chartam virginem lino ligabis et collo laborantis suspendes die Iovis; sed dum prendes araneam vel phylacterium alligas, ter in terram spues.

**84.** ib. XX 78. Cum te in lecto posueris, ventrem tuum perfricans dices ter: 'Lupus ibat per viam, per semitam, cruda vorabat, liquida bibebat.' physicum hoc ad digerendum de experimento satis utile. (cf. supra p. 482 Plin. XXVII 100.)

**85.** ib. XXIII 68. Contra dolorem splenis aut iecoris: corticem caprificus arboris detrahes et... ad splenem vel etiam si opus fuerit ad iecur pones..., ibi corticem diutius continebis, deinde in fumo[1]) eam suspendes; quod cum facies, rogabis, ut sicut cortex ille paulatim fumo siccatus arescit, sic splen vel iecur laborantis arescat.

**86.** ib. XXVI 129. In cubili canis urinam faciat, qui urinam non potest continere, dicatque, dum facit, ne in cubili suo urinam ut canis faciat.

Qui locus fluxit e Plin. XXVIII 215 et Ps. Plin. II 18 p. 62 R.

Itidem haec medicamenta similitudinis causa a praecantatoribus usurpata esse videmus:

**87.** Ser. Sam. v. 651. Profluvio cuiusque sanguinis:

Quod si feminei properabit sanguinis imber,
est qui frusta molae percussu decutit uno,
quorum aliquot lanis tectum ad praecordia nectit,
haec simul incantans: 'sisti debere cruorem,
ut lapis ille viae solitos iam destitit orbes.'

**88.** Alex. Trall. II 585. in longa incantatione haec verba inveniuntur . . . βάλε ἐν τῇ ῥίζῃ μίαν δράκα ἁλῶν λέγων· ὡς οἱ

---

1) Saepe res, quam aeger tetigit, et ita morbus ipse συμβόλου causa in fumo suspenditur, ut quomodo illa res arescit, ita morbus pereat. Marc. XIV 49, XV 82, XXIII 32, 34, 71, 78, XXVI 73.

*ἅλες οὗτοι οὐκ αὔξονται, μηδὲ τὸ πάθος τοῦδε ἢ τῆσδε*; cf. infra p. 523.

Marc. XV 101, supra iam allatum est: albula glandula, nec doleas nec noceas nec paniculas facias, sed liquescas tamquam salis in aqua.

Hac opinione 'similia similibus' nititur remedium, quod in

**89.** Geop. IX 1, 5 e capite laborantibus traditur: ὤνησε δέ ποτε καὶ ἀπήλλαξε κεφαλῆς ἄλγημα φυσικῶς, φύλλῳ ἐλαίας ἐπιγράψαντες *Ἀθηνᾶ*[1]) καὶ μίτῳ τὸ φύλλον τῇ κεφαλῇ ἀναδήσαντες.

Ratio autem, cur Minervae nomen folio eius arboris inscriptum tantum valere creditum est, haec esse Niclasio in adnotationibus ad h. l. recte videtur, quoniam natu suo suum patrem infandis capitis doloribus, quos graphice describit Lucianus deor. dial. 8, liberavit.

Aliae comparationes inveniuntur in his carminibus magicis:

**90.** Hipp. p. 22, c. 62. Πρὸς δυσουρίαν . . . *ἐπικαλοῦμαι καὶ θεὸν Ἀβραάμ μ μ μ: λῦσον φλέβας σὺν δυσουρίᾳ καὶ ῥεῦσον ὡς ὁ Νεῖλος ποταμὸς ὑπὸ μηδενὸς κατεχόμενος.*

Conferendum est illud carmen, quod infra p. 498 attuli:

siccant montes, siccant valles,
siccant venae, vel quae sanguine sunt plenae.

et carmen, quod cod. Vindob. 93 fol. 35ᵛ habet et editum est ab I. Haupt in 'Sitzungsberichte der Akademie', Vindobonae 1872. vol. 71 p. 528 adn., cf. Bandini catal. cod. bibl. Laurent. III 36:

**91.** Ad profluvium mulieris autem sic: herbula Proserpinacia, Horci regis filia, quomodo clausisti mulae partum, sic claudas et undam sanguinis huius. cf. infra p. 493.

Sequatur incantamentum, quod quamquam vim similium non ostendit, tamen hoc loco afferi liceat, cum in eo contraria videamus.

**92.** Varro de l. l. VI 21 K. Meditrinalia dies dictus a medendo, quod Flaccus flamen Martialis dicebat hoc die solitum vinum [novum] et vetus libari et degustari medicamenti causa; quod facere solent etiam nunc multi, cum dicant: 'novum vetus vinum bibo, novo veteri vino morbo medeor.'

Sed non recte traditum esse puto, aut transponendum enim est et legendum: 'novo vino veteri morbo medeor', quod 'novum vinum' et 'vetus morbus' quasi opposita et inter se contraria sunt, aut delendum est 'vino', ut Festus p. 123 M. ostendit qui versum ita tradidit: *Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor.*

Alterum incantamentum memoria dignum hoc loco aptissime describitur, quod pertinet ad opinionem[2]) antiquitatis vulgarem: id quod ad exercendam artem magicam atque fascinationem quidem usurpetur, pariter idoneum esse ad averruncandum fascinum; vis

1) Cf. Theophr. char. XVIII. Ἀθηνᾶ κρείττων.

2) De hac re cf. Iahn 'Böser Blick' p. 61 sq. in 'Berichte der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften' 1855. I p. 28 sq., Lasaulx: 'Studien des klass. Alterthums' p. 162 sq.

enim adiuvandi et sanandi artissime cum nocendi et diruendi vi coniuncta est. Hanc sententiam acute et subtiliter Otto Iahn l. l. eloquitur: '*Wenn man die sympathetischen Curen der Alten durchgeht, so wird man finden, dass bei einem grossen Theile derselben das, was schadet, auch Hülfe bringen soll, wobei sehr oft durch die wunderlichsten Ideenassociationen Surrogate geschaffen werden, unter denen sich die wirklichen Dinge verstecken. So auch bei den meisten Zaubergebräuchen, die, wenn sie in entgegengesetztem Sinne vorgenommen werden, den Zauber lösen.*' Saepe haec opinio apud scriptores huius insanientis sapientiae enuntiata, sed breviter compressa in libro[1]) pseudepigrapho Δημοκρίτου φυσικὰ καὶ μυστικά (Synesius in Fabricii bibliotheca VIII[1] p. 233) tamquam caput artis sacrae est, a mago Ostane in templo proditum: συνεγράψατο [sc. ὁ Δημόκριτος] γὰρ παρὰ τοῦ μεγάλου Ὀστάνου· ἐκεῖνος γὰρ ἦν πρῶτος ὁ γράψας ὅτι ἡ φύσις τῇ φύσει τέρπεται καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν κρατεῖ καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ καὶ τὰ ἑξῆς; cf. Berthelot 'Alchimistes grecs' p. 43 et p. 57, Riess, Nechepsonis fragm. Philol. Suppl. VI p. 379.

Ipsum carmen exhibet

**93.** Marc. XXXVI 70. Carmen idioticum, quod lenire podagram dicitur, sic: in manus tuas exspues, antequam a lecto terram mane contingas, et a summis talis et plantis usque ad summos digitos manus duces et dices: 'fuge fuge podagra et omnis nervorum dolor de pedibus meis et omnibus membris meis', aut si alii praecantas, dices 'illius, quem peperit illa'. 'venenum veneno vincitur, saliva ieiuna vinci non potest.' ter dices haec et ad singulas plantas tuas vel illius, cui medebere, spues.

Sensus huius carminis clarus est: omnem fascinum solvi posse; venenum hoc loco, ut saepe, significat potionem magicam, fascinus fascino solvi potest, sed saliva ieiuna tam potens validumque venenum vel medicamen est contra podagram, ut superari non possit. Maxima est enim vis[2]), quam tribuunt homines superstitiosi spuendo; nulla paene actio magica sine saliva efficitur. *terna despuere praedicatione in omni medicina mos est atque ita effectus adiuvare* (Plin. XXVIII 36); atque ita a Plauto (Capt. 550) 'morbus qui sputatur' commemoratur.

Ad hanc cogitationem de utili et noxia potestate eiusdem rei respicit carmen

**94.** Marc. VIII 172. Si arista vel quaelibet sordicula oculum fuerit ingressa, occluso alio oculo ipsoque qui dolet patefacto et digitis medicinali ac pollice leviter pertractato ter per singula de-

---

1) De quo agit Usener in Rhen. mus. vol. XXVI p. 157.

2) Vide de salivae vi magica et medicinali Plin. XXVIII 35 sq., Iahn 'Böser Blick' l. c. p. 83 sq., Kehr. quaest. magic. p. 16 sq., Grimm 'Deutsche Mythologie' II[4] p. 923. et III[4] p. 319., Wuttke l. l. § 251. etc., Sittl 'Gebärden' p. 117.

spuens dices: 'os Gorgonis basio'; hoc idem carmen si ter novies dicatur, etiam de faucibus hominis vel iumenti os aut si quid aliud haeserit, potenter eximit.

Primitus capiti Gorgonis inerat vis[1]) averruncans venenum et malum, itaque omnibus locis Γοργονεῖον insertum videmus, ubi ἀποτρόπαιον necessarium erat, in muris, portis, domibus, instrumentis domesticis, armis, vestitu. Sed etiam vim contrariam, salubrem atque utilem simul in se coniunxit; quod mythus, quem Creusa in Euripidis Ione (v. 1003 sq. K.) narrat, demonstrat. Athena enim, quae Gorgona interfecerat, Erichthonio filio suo χρύσωμα, παλαιὸν ὄργανον dedit, quod continuit διссοὺς σταλαγμοὺς αἵματος Γοργοῦς ἄπο (v. 1009) τὸν μὲν θανάσιμον, τὸν δ' ἀκεσφόρον νόσων (v. 1011), quarum una stilla νόσους ἀπείργει καὶ τροφὰς ἔχει βίου (v. 1019), altera κτείνει, δρακόντων ἰὸς ὢν τῶν Γοργόνος (v. 1021). Sed dicat quispiam, morbum Medusae vel Gorgonis capite depelli; quamquam illam potestatem imprimis Γοργονεῖον habere superstitiosi putabant, tamen haec sententia in hoc Marcelli carmen 'os Gorgonis basio' plane non quadrat. an quis audeat Gorgona, cuius aspectu omnia in saxum convertantur, basiare? ille, qui hoc carmine usus est, certe confidebat viribus salubribus, non pestiferis illius remedii.

Sed etiam carmen, quod nititur in contraria potestate Γοργονείου, prodit memoriae

**95.** Marc. XV 108. Ad os sive quid aliud haeserit faucibus, hi versus vel dicendi in aurem eius qui offocabitur vel scribendi in charta, quae ad collum eius lino alligetur, quo remedio nihil praestantius:

*Μή μοι Γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου*
*ἐξ Ἄϊδος πέμψειεν ἐπαινὴ Περσεφόνεια.* (Od. λ 634 sq.)

Sed redeamus ad similium in re magica vim, ex eadem sententia certe exoriebatur illud quod in multis medicamentis apparet: quemadmodum numerus adhibitarum rerum sensim minuatur, ita etiam morbum decrescere. Unum exemplum sufficiat: Marc. XXIII 55. *Ad splenis dolorem remedium egregium sic: quinque capita alei diligenter in grana purgati per dies septem lienoso manducanda dabis, ita ut primo die grana XXXI comedat ieiunus, secundo die grana XXV, tertio XVIIII, quarto XV, quinto XI, sexto VIIII, septimo VII, ....*

Idem modus mysticus inest in quibusdam formulis, quae incantantur; ut

**96.** Marc. XV 102. Glandulas mane carminabis, si dies minuetur, si nox, ad vesperam et digito medicinali ac pollice continens eas dices: 'novem glandulae sorores, octo glandulae sorores,

---

1) Cf. Iahn l. i. p. 59 sq., Roscher 'Lexicon der Mythologie' I 2 p. 1695 sq.

septem glandulae sorores, sex glandulae sorores, quinque glandulae sorores, quattuor glandulae sorores, tres glandulae sorores, duae glandulae sorores, una glandula soror, novem fiunt glandulae, octo fiunt glandulae, septem fiunt glandulae, sex fiunt glandulae, quinque fiunt glandulae, quattuor fiunt glandulae, tres fiunt glandulae, duae fiunt glandulae, una fit glandula, nulla fit glandula.'[1])

**97.** ib. X 34. Scribes carmen hoc in charta virgine et linteo ligabis et medium cinges eum vel eam, quae patietur de qualibet parte corporis sanguinis fluxum: sicycuma cucuma ucuma cuma uma ma a.

Quamquam sensus verborum obscurus est, tamen quid sibi velint cognosci potest: ut enim 'cucuma' aut plenius vocabulum demptis singulis litterulis ad nihilum redigitur, ita magis magisque cessabit sanguinis profluvium. dices fortasse inter priora vocabula 'sicycuma' et 'cucuma' interponendum 'icycuma' propter analogiam, tamen necessarium hoc non esse opinor; quamquam latere potest 'sic: cucuma'; similia exempla deminutionis litterarum non ad amussim perfectae inveni in charta magica Berolinensi a Partheyo edita (in 'Abhandlungen der Akademie', Berolini 1865 p. 109 sq.) II 1. ἀκρακαναρβα· καναρβα· αναρβα· ναρβα· αρβα· ρβα· βα· [α] λέγε[2]) ὅλον οὕτως τὸ ὄνομα πτερυγοειδῶς. idem repetitur corruptum II 64a: γράφε τὰ ιβ' ὀνόματα κατὰ φύλλα· ἕν, κρακαναρβα· καναρβα ρακαναρβα· ακαναρβα· καναρβα· αναρβα· κ[α]ρβα· αρβα· ρβα· α· καὶ τὸ ἕτερον αλλαλα· σανταλαλαλα· νταλαλα· ταλαλα· αλαλα· λαλα· αλα· λα· α·.

Notissimum est illud 'Abracadabra', quod venit in proverbii consuetudinem, apud

**98.** Ser. Sam. v. 935.

> inscribis chartae quod dicitur Abracadabra,
> saepius et supter repetes, sed detrahe summam,
> et magis atque magis desint elementa figuris
> singula, quae semper rapies, et cetera figes,
> donec in angustum redigatur littera conum.

Non rarius alia vox obscura in amuletis discripta πτερυγοειδῶς i. e. in unam syllabam decrescens, quod pap. mag. Berolinensis II 5 et II 64 de vocabulo ἀκρακαναρβα praecipit, reperitur; cf. gemma a Koppio pal. crit. III § 583 expressa.

## VI. Ἀδύνατα.

Sed veniamus ad aliud genus carminum, quae a nonnullis viris doctis[3]) iis, quae plane non perspici possent, adnumerabantur; sed tamen aperta est sententia horum enuntiatorum, cum nonnullis locis perspicue exprimatur, quid valeant; illa enim incantamenta dico,

---

1) Iidem versus apud alios populos inveniuntur; cf. Liebrecht 'Zur Volkskunde' p. 371, Wuttke l. i. § 231.

2) λέγε πτερυγοειδῶς difficile foret, itaque emendandum est γράφε.

3) Becker-Marquardt: 'Röm. Alterth.' IV p. 125 adn. 755. et Kopp. pal. crit. III § 515 et 519.

quae quasi ἀδύνατα narrant. Haud raro comparationes ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου inveniuntur apud poetas, ut Prop. II 15, 17, Ov. trist. IV 7, 11, Calp. VIII 75, Verg. ecl. I 60—64, ubi Forbiger in adnotationibus multa alia exempla huius poetarum usus enumerat, quorum omnium fons erat Hom. Il. A 234. Ita etiam in carminibus magicis nonnullis haec opinio reperitur:

**99.** Marc. XII 46. Cum primum hirundinem videris, tacebis et ad aquam nitidam accedes atque inde in os tuum mittes; deinde digito obscoeno i. e. medio, tam manus dextrae quam sinistrae dentes fricabis et dices: 'hirundo tibi dico, quomodo hoc (sc. aqua) in rostro iterum non erit, sic mihi dentes non doleant toto anno.' iterum alium annum et deinceps sequentibus similiter facies, si volueris remedii huius quotannis manere beneficium.

Deinde sequatur incantamentum, quod tribus locis exstat:

| | | |
|---|---|---|
| **100.** Marc. XXI 3. Adid (sc. corcum) aliud carmen: | Marc. XXVIII 16. Carmen ad rosus sive hominum sive animalium diversorum sic. palmam tuam pones contra dolentis ventrem et haec ter novies dices: | Pelagonii c. VII p. 39 ed. Cionius. Ad dolorem ventris praecantatio: manu uncta oleo ventrem perfricato cum hac praecantatione: |
| 'corce corcedo stagne[1]), pastores te invenerunt, sine manibus collegerunt, sine foco coxerunt, sine dentibus comederunt. Tres virgines in medio mari mensam marmoream positam habebant; duae torquebant, una retorquebat. Quomodo hoc numquam factum est, sic numquam sciat illa Gaia Seia corci dolorem.' | 'stolpus[2]) a caelo cecidit, hunc morbum pastores invenerunt, sine manibus collegerunt, sine igni coxerunt, sine dentibus comederunt.' | 'tres scrofae de caelo ceciderunt, invenit eas pastor, occidit eas sine ferro, coxit eas.... ..... sine dentibus. bene coxisti, bene coxisti, bene coxisti.' |

Apud Pelagonium versiculus 'coxit eas sine dentibus' ex duobus: 'coxit eas sine igni' et 'comedit eas sine dentibus', ut Marcelli

1) Grimm legit: corcedo corcedo stagna.

2) Ad 'stolpum' cf. infra p. 498 'stupidus in monte ibat' et ib. 'stulta femina etc.'.

loci demonstrant, in unum confluxit. Ex quo intellegi potest, quam facile carmen sensu plane carens oriatur.

Sententia carminum haec est: ut illud, quod narratur, fieri non potest, ita etiam morbus ne possit infirmo nocere, quod claris verbis primo loco apud Marcellum (XXI 3) dictum est: 'quomodo hoc numquam factum est, sic numquam sciat illa Gaia Seia corci dolorem.' Huiusmodi ἀδύνατα alias saepe inveniuntur in mysticis verbis, velut Marc. VIII 199. supra p. 486 iam allatum.... 'quidam adiciunt huic collyrio viperam siccam et arefactam in sole.... dices autem: 'quomodo tu non vides, sic et tuus sucus gustatus nulli noceat, sed ob rem, propter quam adiecta es, proficias bene curatione precor.'

Et Marc. VIII 191, qui locus iterum bis apud alios quoque scriptores exstat:

| | | |
|---|---|---|
| **101.** Marc. VIII 191. Si in dextro oculo varulus erit natus, manu sinistra digitis tribus sub divo orientem spectans varulum tenebis et dices: | Garg. Mart. de cura boum § 19 Schuch. Ad glandulas iumentorum. luna XIV mane antequam manus laves, iumento omnia impedimenta tollis et manus sinistrae digito medicinali de glandula adprehendis et haec dicis mente precante: | Anecdotum latinum ed. Piechotta. CLXX. Si quod vulnus in oculis[3]) nascitur, pollicem cum digito medicinali ter novies circumducis et sic dicis: |
| 'nec mula parit,[1]) nec lapis lanam fert, nec huic morbo caput crescat aut si creverit, tabescat.' | 'nec lapis lanam fert, nec lumbricus oculos habet, nec mula parit utriculum. Cassia herbosa arbor fuit, manu humana haec ipsa concisa et carbo factus est. et si tuber, si panus, evalla. subula neceris[2]) nec radices agas.' hoc semel dices. | 'quod mula non parit' et exspues, 'nec cantharus aquam bibit'[4]) et exspues, 'nec palumba dentes habet' et exspues, 'sic mihi dentes non doleant' et exspues. |

1) 'Mula non parit'; cf. Plin. VIII 173. *observatum ex duobus diversis generibus nata tertii generis fieri et neutri parentium esse similia, eaque ipsa quae sunt ita nata non gignere in omni animalium genere, idcirco mulas non parere;* cf. supra p. 488 n. 91; haec locutio saepe invenitur; iam Zopyro Babylonem oppugnanti oraculum datum erat (Herod. III 153.) ἐπεάνπερ ἡμίονοι τέκωσιν, τότε τὸ τεῖχος ἁλώσεσθαι. 'mulae partus' prodigium erat, ut Cic. de div. II 22, 49 et 28, 61, Liv. XXXVII 3, 3, Iuv. XIII 64,

**102.** Marc. XIV 67. Iam supra allatum est p. 481. Ad dolorem uvae scribes in charta et collo laborantis linteolo suspendes: 'formica sanguinem non habet nec fel, fuge uva, ne cancer te comedat.'

**103.** Suidas s. v. Μύξος; cf. Suidas s. v. ἀλέκτωρ πίνει..... μύξος ὁ λαγογήρως παρ' ἡμῖν· ἐπῳδή· *Ἀλέκτωρ πίνει καὶ οὐκ οὐρεῖ, μύξος οὐ πίνει καὶ οὐρεῖ.* λέγεται δὲ εἰς δυσουρίαν ὄνου.

Etiam in germanicis carminibus id genus sententiarum nobis interdum occurrit; cf. Rochholz 'Alemannisches Kinderlied' p. 226 sq., Kuhn 'Norddeutsche Gebräuche' p. 439 n. 320 et eiusdem auctoris 'Sagen etc. aus Westfalen' II n. 578; veluti contra febrem:

Die Bienen ohne Lunge,
die Störche ohne Zunge,
die Taube ohne Gall'
hilft für die 77 Fieber all'.

Has fabulosissimas res, quae fieri non possunt, et usus magicos vanos facete illudit poeta medii aevi anonymus, quem edidit Hagen 'Antike Comoedie in distichischer Nachbildung' in Fleckeiseni ann. vol. 97 p. 711 sq., versus ita apte rem describunt, ut praetermittère non possim, quin afferam:

v. 307. Baucis virgineum temptans revocare pudorem
provida propositae colligit apta rei:
herbas, unguenta, potus, medicamina, cantus,
quae vobis breviter enumerare libet.
corvi candorem, fumum, tria flamina venti,
caeci cuiusdam lumina, noctis avem;
a calvi fronte crines, membrumque spadonis,
auditum surdi, verba carentis eis;
ignivomam glaciem defunctorumque calorem,
insani sensum cum ratione bovis;
duri mollitiem lapidis cum murmure stagni,
quercus pomiferas, vimina plena piris,
praeterea rugas pueri, barbas vetularum,
virus Cerbereum quaerit, ut addat eis.
his ibi confectis facit e meretrice puellam.

---

Sueton. Galba 4; atque ita proverbium fiebat 'cum mula pepererit' i. e. numquam; cf. Otto 'Sprichwörter der Römer' p. 232.

2) 'Subula neceris' Schuch p. 35 proverbium *subula leonem excipere* (Sen. ep. 82, 25) et *in aciem descendere subula armatum* (ib. 85, 1) comparans ad haec incantamentorum ἀδύνατα adiungit. sed hoc non rectum est, 'subula necatur' panus aut tuber, ut nostri chirurgi fibula vulnus purulentum secant; Schuch p. 36 ipse 'fibula' proposuit.

3) Apparet praeceptionem cum incantamento pugnare, cum supra medicamentum contra vulnus oculorum afferatur, sed infra in carmine dentes nominentur.

4) Cod. praebet 'nec cantarus aqua vibet'.

Similes sunt versus germanici ad restituendam eodem modo virginitatem, quos Ad. Keller 'Altdeutsche Erzählungen' in 'Publicationen des litterar. Vereins Stuttgart' XXXV p. 480 edidit:

do kom ein alt weip gegangen,
die ward von in gar schon enpfangen.
sie sprach: thut diese red hin,
so ler ich euch ein syn.
davon euer meydtum wirt heil,
grabt ein wortz, die heist garten geil!
darzu nempt rittersporn
und ein winig hagdorn;
auch des marckes von eynem slegel
und des gehirns von eynem wedel!
nempt auch der glocken klang
und der nachtigal gesangk,
des odems von eynem schafe
und ein quentein, das ich heint slaffe;
darzu die weisheit von eyner kalben!
darauss macht ein salben.

## VII. Historiolae.

Prae ceteris maximo studio illa incantamenta digna sunt quae historiolam vel μυθιστορίαν narrant. Antiquitus apud omnes fere populos[1]) hoc carminis magici genus valde florebat; de quo Wuttke l. i. § 226 dicit: *Diese Formeln befehlen nicht, oder schliessen höchstens mit einem Befehle, sie reden nicht an, sondern sie erzählen, und immer etwas, was mit dem zu besprechenden in einer gewissen gleichlaufenden Beziehung steht, entweder aus der heiligen Geschichte und Sage oder aus dem Gebiete der kirchlichen oder natürlichen Wirklichkeit oder auch der dichtenden Phantasie.* Iam Herodotus I 132 de Persis narrat: μάγος ἀνὴρ παρεστεὼς ἐπαείδει θεογονίην, οἵην δὴ ἐκεῖνοι λέγουσι εἶναι τὴν ἐπαοιδήν.

Etiam Homeri verba, quibus profluvium sanguinis vulnerato ab apro Ulixi filios Autolyci inhibuisse narrat, (Od. τ 456 sq.):

ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
ἔσχεθον.

usurpata esse cantilenae loco, Keuchen in prolegom. ad Ser. Samm. p. 65 dicit; sed locum non inveni.

Luciani verba sequantur, quae quamquam ille scriptor praestigias magorum aequalium salse irridet, tamen exemplum huius usus

1) Grimm 'Mythologie' II[4] 1042 sq. et Kuhn 'Indische und germanische Segenssprüche' in KZ. XIII 49 sq. et 113 sq., Erman 'Aegypten und aegyptisch. Leben' II p. 471 sq., Dieterich 'Abraxas' p. 136 sq. et prolegom. ad pap. mag. p. 772 adn. 1.

optimum praebent. Mercurius enim Charoni caecutienti ut medeatur, adhibet Homeri versus (Ε 127 sq.), quibus Minerva Diomedem a caecitate ac stupore liberare narratur.

**104.** Charon. c. VII. ΕΡΜ. Ἔχ' ἀτρέμας· καὶ τοῦτο γὰρ ἐγὼ ἰάσομαί σοι καὶ ὀξυδερκέστατον ἐν βραχεῖ ἀποφανῶ παρ' Ὁμήρου τινὰ καὶ πρὸς τοῦτο ἐπῳδὴν λαβών, κἀπειδὰν εἴπω τὰ ἔπη, μέμνησο μηκέτι ἀμβλυώττειν, ἀλλὰ σαφῶς πάντα ὁρᾶν.
ΧΑΡ. Λέγε μόνον.
ΕΡΜ. *Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,*
*ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.*
Τί ἐστιν; ἤδη ὁρᾷς;
ΧΑΡ. Ὑπερφυῶς γε· τυφλὸς ὁ Λυγκεὺς ἐκεῖνος ὡς πρὸς ἐμέ.

Non sine causa remedium προφυλακτικόν contra oculorum malum adhibetur Homeri versus, qui omnia videntem et audientem Solem describit:

**105.** Marc. VIII 58. Hoc etiam remedium indubitate impetus oculorum, si praevenias, prohibebit, scriptum in charta virgine: ρουβρς ρνοπειρας

*ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει*

quod ad collum dolentis licio suspendi debet; sed et coeptam atque inveteratam lippitudinem sedat, si in faciendo ac suscipiendo praeligamine castimonia ab utroque servetur.

Incantationem certe continet caput

**106.** Hippiatricorum p. 33, c. 156. Ἀφλέγμαντον. *Κίρκη καὶ Μήδεια ἐκαθέζοντο πρὸς ἀνατολὰς ἡλίου, ἐζήτουν τὸ ἀφλέγμαντον εἴτε ἀπὸ λίθου, εἴτε ἀπὸ ξύλου, εἴτε ἀπὸ κυνοδήκτου· τὸ γὰρ ἕλκος ἀνήλιόν ἐστιν.* (ἐκαθέζετο cod.) quamquam perspicue non significatur ἐπῳδή.

His duabus magis famosis, quasi deabus magicarum artium, apud Marcellum tres virgines respondent. Marc. XXI 3 cf. supra p. 492 ... Tres virgines in medio mari mensam marmoream positam habebant, duae torquebant, una retorquebat... et

**107.** ib. XXVIII 74. Ad rosus tam hominum quam iumentorum praecantatio sic: pollice sinistro et duobus minimis digitis ventrem confricans dices: 'Stabat arbor in medio mare et ibi pendebat situla plena intestinorum humanorum, tres virgines circumibant, duae alligabant, una resolvebat.' Hoc ter dices et ter pari modo terra contacta exspues. Si iumenta carminabis, 'intestinorum mulinorum vel equorum vel asinorum' dices.

(resolvebat Usener, revolvebat cod.)

Hae tres virgines certe deae fortunae vel Fatae, Μοῖραι vel Parcae iam ab Iacobo Grimm agnitae sunt; dum alias mensam aut

solium in monte alto aut in prato florido ponunt, hoc loco consulto in medio mari stabat, ut morbus submergeretur. In carminibus Germanorum tres 'Idisi'[1]) vel a christianis tres Mariae substitutae sunt, veluti in illo carmine tradito in libro magico, qui inscribitur 'Romanusbüchlein'[2]):

'Vor die Bärmutter:
Es sitzen drei Weiber im Sand,
sie haben des Menschen (Ross, Vieh) Gedärm in der Hand.
Die erste regts,
die zweite schliessts,
die dritte legts wieder zurecht.'

Hoc carmen omnino ita respondet illi alteri Marcelli loco (XXVIII 74), ut putares ex Marcello in superstitionem germanicam transiisse.

Aliam cantilenam et apud Plinium et in Anecdoto latino (ed. Piechotta) invenimus.

**108.** Plin. nat. hist. XXIV 176. Philanthropon herbam Graeci appellant nasute, quoniam vestibus adhaerescat .... medetur et subus effossa sine ferro addita in colluviem poturis vel ex lacte ac vino. quidam adiciunt effodientem dicere oportere: 'Haec est herba argemon, quam Minerva repperit subus remedium, quae de illa gustaverint.'

Apud Piechottam (§ LVII) legimus locum valde corruptum, quem ita emendandum esse puto: Ad ea quae medici non intellegunt et ad nerciam (?) quod scia hinc appellatur, ad eum morbum: 'haec est herba argimonia quam Minerva tradidit potionem Apollini. Apollo tradidit inter humanos, si cui sciaticus morbus est, hanc herbam.' Et hoc cum ter incantaveris ipsam herbam recentem puram tusam imponito in locum, quem sanabit.

cod.: ad eum m///bum; argiu///nia; tradidit potio Apollini; tradid; humanosiqui sciati morbus; e///hoc; puram //sam quam bit sanabit. — 'Nerciam' morbum non inveni, fortasse legi potest: 'nerviam' quod vocabulum raro invenitur, i. e. nervi; cf. Plin. XXVI 130 *nervis et articulis plantago trita cum sale, argemonia tusa ex melle.* Neque tamen hoc plane quadrat, sed multo magis praeferenda est vox 'nescia', quae eadem est ac 'scia' vel ἰσχιάς; atque argimonia contra hunc morbum commendatur a Marcello XXV 32. *Ad nesciam remedium dictatum a Iusto medico sic: herbam argimoniam et herbam verbenam tundes* ... Etymologia, qua nomen 'nescia' a verbo nesciendi ('medici non intellegunt') derivatur, infeliciter maleque tentata est ab epitomatore. Ceterum *Theophrastus ischiadicos sanari* carmine dixit. (Plin. XXVIII 21.) Pro 'potio' proposuit Radermacher rectius 'Pythio,' cum 'potio' nusquam herba dicatur, sed infra praescribatur, ut herba imponatur.

---

1) Cf. Grimm 'Kleine Schriften' II p. 4 sq., 'Deutsche Mythologie' II⁴ p. 1042, Wuttke l. i. § 33 sq., § 229, 'Zeitschrift f. deutsches Alterth.' XIX 473 sq.

2) De hoc libro cf. Wuttke § 259 adn.; editus est a Loschio in 'Württembergische statist. Jahrbücher' 1890 II fasc. 3 et 4.

Adversus eundem morbum apud Marcellum incantamentum in colligenda herba cantandum habemus.

**109.** Marc. XXV 13. Remedium ad nesciam (Grimm: ischiadem) sic: colliges herbam, quae dicitur britannice, die Iovis, vetere luna et liduna siccabis et repones, quia hieme non apparet; nam et viridis prodest ... sed hanc herbam ter, dum tenes (teres Grimm.), antequam colligas, praecantare debes sic: 'terram teneo, herbam lego, in nomine Christi prosit, ad quod te colligo' medicinalibus digitis eam sine ferro praecides vel avelles.

Pro 'ter dum tenes' proposuit Ricardus Iahnke amicus 'terram dum tenes'; recte mihi videtur.

Etiam incantationes, quae secuntur, diversis locis exstant et latinis et germanicis.

**110.** Marc. X 35. Carmen hoc utile profluvio muliebri: 'Stupidus in monte ibat, stupidus stupuit; adiuro te, matrix, ne hoc iracunda suscipias'; pari ratione scriptum ligabis.

Quibuscum verbis iam Iacobus Grimm ('Kl. Schriften' II p. 147) germanicos versus comparavit, quos e codice Argentoratensi saec. XI (l. i. p. 29) edidit: Ad stringendum sanguinem.

Tumbo saz in berke
mit tumbemo kinde in arme,
tumb hiez der berc,
tumb hiez daz kint,
der heilego tumbo
versegene dise wunta.

Certe in vocabulo 'stupidus' vel 'tumbo' latet deus quidam obscurus, quod summo ingenio Grimm perspexit. Cum hac germanica cantatione plane consentiunt verba carminis, quod invenitur in codice Bernensi A 92, saec. X, fol. 1a (cf. Hageni catalog. p. 129).

**111.** Formula magica ad sanguinem siccandum:

Stulta femina super fontem sedebat
et stultum infantem in sinu tenebat,
siccant montes, siccant valles,
siccant venae, vel quae de sanguine sunt plenae.
(cod.: qui; fortasse emendandum est, 'cui'.)

Fortasse 'super montem' legendum est, ut in antecedentibus incantationibus; 'stulta femina' mythice nebulam [1]) significare videtur, quae non pluit, sed in monte sedet; quamquam 'super fontem' teneri potest, quod ita etiam fit, ut montes et valles siccent.

**112.** Pelagon. XIX praebet carmen μυθιστορίαν valde corruptam continens, quam Buecheler in mus. Rhen. vol. XLV p. 332 evidenter feliciterque ita emendavit:

---

1) cf. Wuttke l. i. § 23, Schwartz 'Indogerm. Volksglaube' p. 112 sq.

Praecantatio ad equos hordiatos sive ad torsionem, Absyrti apopiras (= ἀπὸ πείρας) ait. 'Equus telluris flori natus, orcus, cognatus orcus pedem indit, vidi; nunc ego pedem indam orco, si tortionatus, si hordiatus, si lassatus, si calcatus, si vermigeratus, si vulneratus, si marmoratus, si roboratus, si equus non poterit esse. nocivum quia vidi orcum, his carminibus istis equis dabo remedium'; hoc carmen in aurem dextram equo dices: 'semel natus, semel remediatus'; et spuis in aurem; remediasti, si frequentius incantaveris. (Codex: aeluris; florinacus; vidi non ego pedem orco; lassus; noctuum quia videor cum iis carminibus).

Alia exstat apud Pelagonium incantatio, etiam in corpus Hippiatricorum (p. 100, c. 692 ed. Miller = ed. Ruelle Basileae 1537[1]) p. 216) recepta, quae solem equorum quasi deum esse commemorat:

**113.** Pelag. c. XX p. 76.

Item si vipera, aut falangio aut mus araneus momorderit, prodest terram formicarum cum vino faucibus infundere, aut ipsa vulnera confricare: sed et verba religiosa non desint, nam sol peculiariter dominus equorum invocatus ad medelam adest; quem hoc modo, cum terram °p. talparum coeperis tollere, invocabis sic: 'tu, sol divine, calide et frigide, tantum mihi abalienasti'; hoc dices, et suprascriptam medelam faucibus infunde.

Ἱππιατρικά p. 100, c. 692.

Πελαγωνίου πρὸς τὰ ἀπὸ ἐχίδνης δήγματα καὶ μυγαλῆς καὶ φαλαγγίου (a. l. ἰων). Συμβάλλεται τοῖς πεπληγμένοις γῆ ἀπὸ μυρμηκιᾶς ἐγχυματιζομένη μετὰ οἴνου καὶ αὐτὰ δὲ ἀποτρίβειν τὰ πλήγματα· ἡ δὲ θεοφίλη λιπαρὰ παρήματα καὶ ὁ ἥλιος τῶν ἵππων ἰδικός ἐστιν δεσπότης καὶ χαίρων πρὸς τὴν τούτων ἔρχεται θεραπείαν. ἐπικαλούμενος οὕτως ὅτε τὴν γῆν λαμβάνεις λέγε· *Δέσποτα ἥλιε θερμὲ καὶ ψυχρέ, τοσοῦτόν με ἀπηλλοτρίωσας*; τοῦτο λέγων ἔμβαλε κατὰ τοῦ λαιμοῦ τὸ βοήθημα.

In his verbis offendit: ἡ δὲ θεοφίλη λιπαρὰ παρήματα καὶ ὁ ἥλιος ..., ad quae verba adnotat Miller: 'probablement ἡ δὲ θεὸς φιλεῖ λιπαρή-

1) Hic Ἱππιατρικῶν codex Paris. 2322 multo magis respondet Pelagonio, quam editio Basiliensis; ordo enim remediorum, veluti capitis primi et sexti Pelagonii, inter duos libros omnino fere consentit, cum codex, quo Ioannes Ruelle, primus editor, usus est, multum a Pelagonio distet. Atque etiam ex hoc codice Parisino mihi verisimile fit, Pelagonium ut nunc in editione Cionii habemus plurimis locis e corpore Ἱππιατρικῶν fluxisse, quamquam infitiari non possum primo Pelagonium latinis verbis conscriptum esse; qui latinus Pelagonii liber in Ἱππιατρικά receptus postea inde in latinum sermonem deinceps retro converti potest. Permultos locos corruptos alterius libri ex altero facile emendantur; sed de hac re vix prius iudicare possum, quam Ihmii disputationem: Prolegomena in novam Pelagonii artis veterinariae editionem Halis 1891 inspexi.

ματα'; sed non probo hanc emendationem, legendum enim est, si 'religiosa verba' Pelagonii comparamus: λιπαρὰ τὰ ῥήματα. Porro quid hoc loco ἡ δὲ θεὸς? Scribe ἡ δὲ θεότης.

Etiam Marcelli (XXXVI 19) locus sollemnis formulae colorem habet:

**114.** Adversus podagram. ....... Phlomum moles et dices, quamdiu moles: 'summum caelum, ima terra, medium medicamentum' .......

Quam cantionem apud alios populos habemus, ut Wuttke § 236 affert ex illo libro famosissimo 'Romanusbüchlein'. Longam incantationem secuntur in fine haec:

Der Himmel ist ob dir,
das Erdreich unter dir,
du bist in der Mitten,
ich gesegne dich vor das Verritten.

cf. Bartsch 'Sagen, Aberglauben etc. aus Mecklenburg' II p. 385 sq., qui permulta exempla huius generis enumerat.

Obscurus est sensus verborum (fortasse 'Αδυνάτων capiti adnumerari potest.):

**115.** Hippiatr. p. 15, c. 17. Φυλακτήριον πρὸς μᾶλιν παρὰ τοῦ φιλοσόφου. *μύρμηξ ψοφεῖ· πέλωρος κεφαλὴν οὐκ ἔχει· ἔλαφον πιάσας ἀμέλξω Μυσίαν παλαιτάτην* ... (secuntur ἐφέσια γράμματα) ...γράψας ἐν χάρτῃ καθαρῷ ἢ κασσιτερίνῳ περίαπτε (cod. μαλαιτάτην, emendationem Radermachero debeo.)

Sequatur incantatio ad maleficas averruncandas utilis, quae traditur apud

**116.** Fest. p. 314 M. Stri(gem ut ait Verri-)us Graeci στρίγγα ap(pellant) quod maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant. Itaque solent his verbis eas veluti avertere Graeci: CYPPINTA ΠΟΜΠΕΙΕΝ NYKTIKOMAN CTPINTATOΛΑΟΝ OPNIN ΑΝΩΝΥΜΙΟΝ ΩΚΥΠΟΡΟΥC ЄΠΙΝΗΑC.

Quae verba C. Otf. Mueller editor restituit et ad versus hexametri metrum ita restrinxit:

στρίγγ' ἀποπομπεῖν νυκτικορώνην στρίγγ' ἀπὸ λαῶν
ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας [ἐλαύνειν].

Bergk P. L. G. $III^4$ p. 664 sq. versus lyricos ita constituit:

Στρίγγ' ἀποπομπεῖν
νυκτιβόαν,
στρίγγ' ἀπὸ λαῶν,
ὄρνιν ἀνώνυμον
ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας.

Sententiam noctuas a civitate in naves mitti commode mihi videtur Mueller in 'supplemento adnotationis ad Festum' p. 409 inde interpretari, quod cum noctua in terra mala portenderet, in navali tamen

proelio fausta significare credebatur (cf. Diogen. prov. III 72, 93, Aristoph. Equ. 1102 [1091], Schol. ad Vesp. 1024 [1081], Hesych. s. v. γλαύξ ἔπτατο; cf. Schmidt in Fleckeiseni ann. 1891 p. 561 sq.).

**117.** Marc. XV 89. Remedium valde certum et utile faucium doloribus. scribes in charta haec:

*εἶδον τριμόρφου χρύσεον τὸ σάνδαλον,*
*καὶ ταρταρούχου χάλκεον τὸ σάνδαλον.*
*σῶσόν με σεμνὲ νερτέρων ὑπέρτατε.*

quam chartam in phoeniceo obvolutam lino colligabis colloque suspendes meminerisque ut mundus haec facias, et ne tertia manu scriptura tangatur.

cod.: τριμερυ χροιϲεον τοαναδον και ταρταρουχου χακεϲιν τουϲαναδοντεϲ ϲουν ϲεμνερ νερτερον υτερβατε; de emendatione cf. sched. philol. p. 131 sq. et Dieterich de hymnis Orphicis p. 42.

Nonnullas cantilenas edidit Valentinus Rose (Hermae t. VIII p. 54) e codice Sangallensi no. 751, qui librum 'medicina Plinii' cum multis superstitiosis rebus continet; compendia dissolvi et quantum potui emendavi.

**118.** lib. II c. 57 p. 254. 'Ad membrorum omnium dolorem praecantatio. homini haec dicis tergens ter novies de manu sinistra digito medicinali et pollice, dices: 'Vertigontes audierunt, Iovem patrem sibi ad optationem dedisse, ut si quid doleret, eadem die, qua te nominasset, tu illi sanum faceres quod doleret. Vertigontis tui meminito, mihi sanum facies quod dolet'; omnia nominabis.

(cod.: nominas set tu illis anum facere qđ dolere tegontis tu⟨i⟩, facies et quod; 'tergens' adiecit Fridericus Vollmer amicus; 'qua' supplevit Iahnke.) Ex historia narranda enuntiatum extemplo transit ad Iovem invocandum, ita orta est oratio obscura; sermo colorem Gallicum habet (cf. de manu sinistra), atque Vertigontes videntur esse gens Gallica.

**119.** lib. III c. 16 p. 268. Ad combustum. Praecantatio ad combustum; dicis haec rangaruagauerbat. ter dicito et lingito ter et exspuito. Praecantatio ad conbustum, ne fiant ulcera, dicis haec [in]: 'ferrum candens linguam restringat, ne noceat.' hanc incantationem tamen ex ore Druidum: 'Siculi vident[ur] iligo vel marino piso adriacicum et iscito malluli drogoma ex aua mit≡unt astandem.' Combustum recens alumen ex aqua frigida ponito sanabit . . . . .

(cod.: fiat ulcera; restringuat; hanc incantatio totam net ≡ oridru ido. Emendationem Usener benigne mecum communicavit.) — Alteram partem inde a verbis 'Siculi videntur' praebui, ut Rose; desperavi enim de emendandis verbis cum nihil intellegerem, nisi verba 'Siculi vident e litore marinum piscem adriaticum' . . . . et deinde 'ex aqua mittunt astantem'; Radermacher meus hanc emendationem proposuit: Siculi vident in ingluvie marina piscem Adriaticum et iis cito mullulli tragemam (τράγημα) ex aqua mittunt gustandam.

**120.** lib. III c. 18 p. 270. [Ad] Daemones effugandos hoc dicis physicum: ocopo ΟΧΦ. e. Γ. e. I., daemones ad lunaticum accedant, herbam pioniam (idem) ad collum suspende. Daemonium sive t dession (?) ne noceat, herbam heliotropium legis luna XVI et supra limen ponis et in ventrali uteris. daemoni ne occurras nocte quocumque loco timueris, hoc dicis: 'Daemonia quoque in publico cadunt'; dicis illi ad aurem 'recede daemon, teleteni veniunt'. Daemoniosis aut lunaticis. Bitumen tritum eqs.

(cod.: Daemones effugandos; ponis et et; utatur; noctae, quecunque.)

In his verbis maxime ad nos pertinet incantatio: 'recede daemon, teleteni veniunt', ubi vocabulum 'teleteni' derivatur a voce 'teleta τελετή' et significat mysteriorum conscios, μύcταc. 't dession' putat Radermacher amicus scribendum esse 'to dession' et interpretandum τὸ δεξιὸν i. e. εὐφήμωc 'faustum', ut Erinyes appellabantur Εὐμενίδεc.

**121.** ib. p. 272. Ad quartanas. quartanariis philosophorum nomina in pittacio scribis: *Πυθάγορας Δημόκριτος Σωκράτης Πλάτων* et adora accessionis nomina philosophorum supra scripta[e,] illuma (?) quartana. Item in charta inscribis 'Oceanum interea surgens aurora reliquit' (Verg. Aen. IV 129, XI 1). Item accipies pellem lupinam ........

(cod.: ΔΝΜΟCCώ ΙΚΡαΤΜC. Ραατονχ; supra scriptae.) Verba corrupta 'illuma quartana' Usener sic emendavit, cum oratio hiaret: e⟨t dic: solvite⟩ illum a quartana.

Alias eodem modo corruptas incantationes praebet

**122.** Anecdot. lat. ed. Piechotta no. 185. Ad profluvium sanguinis scribis in charta et legas de tela: 'si vir est in collo, si mulier in invilico, sicut terra non tangat. ita sanguen viventale tantale vives sanguine tantale.'

Haec verba sic fortasse emendari puto: 'si vir est in collo, si mulier in umbilico, sicut terram non tangunt, ita sanguinem bibant talem (?). Tantale, bibes sanguinem, Tantale' ('in umbilico' emendationem Usenero debeo).

**123.** ib. no. 189. Ad fugitivos in charta scribit dominus ...... aliud post ostium scribis: 'irrifa epona nupsit illegy.'

Sed ad fugitivos servos hoc carmen minus quadrat, multo magis ad equorum quendam morbum pertineret, cum Epona sit equorum et equitum dea, sed de Eponae conubio nihil scio nec invenio.

Denique nonnullae praecantationes [1]) hic afferendae sunt e codice Vindobonensi no. 93 [2]) saec. XI, qui permultas herbarum precationes continet.

1) Etiam in codicibus Laurentianis exstant 73, 16, cf. Bandini catal. III p. 35 sq. et 73, 41; cf. Bandini III p. 77 sq.

2) De quo codice vide Hauptii disputationem: 'Über das md. Arzneibuch des Meister Bartholomaeus' in 'Sitzungsberichte der Akademie', Vindobonae vol. 71 p. 527 adn.

**124.** fol. $5^{v}$. Precatio eiusdem herbae (sc. vettonicae): 'Herba vettonica, quae prima inventa es[t] ab Aesculapio, his precibus adesto, peto; magna herbarum omnium domina dic<er>is per hunc, qui te iussit creari et remediis plurimis adesse. His numeris XLII adesse digneris.' hoc incantas mundus ante solis ortum, legis eam mense Augusto.

(cod.: Scolapio, dicis.)

fol. $35^{v}$. Ad profluvium mulieris, supra p. 488 iam allatum est.

Multae aliae precationes herbarum exstant, quae magis aut minus eaedem sunt; imprimis autem commemorandae sunt haec:

**125.** fol. $108^{v}$. Herba chrysocanthos; sic legi oportet ante meridiem luna III VI IX XIV, cum veneris ad eam mundus, sic dicis: 'sancta herba chrysocanthos, per Aesculapium, herbarum inventorem, te rogo, ut venias huc ad me hilaris cum effectu magno et praestes quae a te fidus posco.'

(cod.: chrysocantis, sanata herba; scolapium.)

**126.** fol. $111^{v}$. Eriphia. precatio eiusdem herbae: 'herba eriphia, ut adsis me rogante et cum gaudio virtus tua praesto sit et ea omnia persanes, quae Aesculapius aut Chiron centaurus, magister medicinae, de te adinvenit.'

(cod.: erifion, scolapius.)

**127.** fol. $113^{v}$. Basilisca. Sic legi oportet, ut qui eam leget, prius consideret salutem suam et vadat mundus ab omnibus; vestes habeat intactas mundas, ne cum vadat mulier menstruata eum contingat, aut ne a viro qui inquinatus est (sc. contingatur). quam herbam cum legere coeperit, sic antequam ad eam veniat, habeat querci folia in manu sua et aquam fontanam ex tribus nymphis et ex eadem aqua de ramulo querci purificet se vel aspergat ita, ut sol mergit, manu dextra; sic precetur 'dea sancta tellus' et cetera, quae in capite scripta sunt.

(cod.: vada mundus; cum contingat; qui eum inquinatus; aqua fontana.)

Hoc carmen 'Dea sancta Tellus' atque precatio omnium herbarum exstant praeterea in 1) cod. Vossiano L. Q. 9, saec. VI = A, ex quo edidit Piechotta Anecdotum latinum, 2) cod. Vratislaviensi III F 19, saec. XI = B, 3) cod. Laurentiano LXXIII 41, saec. XI = C, 4) cod. Laurentiano LXXIII 16, saec. XIII = D (de quibus vide Baehrens Miscell. critica p. 107 sq.) et iam ediderunt Schneider in Ind. lect. hib. univ. Vratisl. a 1839, Riese in Anthologia latina I p. 18 sqq., M. Schmidt in progr. Ienensi a. 1874, Baehrens in Poet. lat. min. I p. 138.

Sed de recensendis his precationibus cum editoribus, qui carmina Plautina vel Terentiana arte composita restituere voluerunt, non consentio. Cum de tempore et origine plane nihil sciamus neque quidquam e versibus ipsis conicere possimus, optimus mihi videtur

modus, ut carmina ita fere describantur, quemadmodum codices praebent, atque quam minime ad metrum firmum adstringantur. Versus secundum leges elegantiores Augusteae aetatis emendari posse plane non nego, sed haec critica via non apta mihi videtur neque adhiberi potest nisi violenter. Quorum versuum poeta rudis ac barbarus versificator mihi videtur, ut saepe in titulis versus eiusmodi mali occurrunt. Itaque in his carminibus hiatus, cuius exempla permulta in inscriptionibus exstant, (cf. Ritschl 'Neue plautinische Excurse' I 123 sq. adn. et Bergk 'Beiträge zur lat. Gram.' I p. 114 sq.; ex Buecheleri Anthologia epigraphica Studemund 'Phil. Anz.' VII 40 exempla collegit.) non solum in caesura sed etiam alias admittendus est. Porro versus hypermetri inveniuntur neque emendandi sunt; neque versus desunt trimetri catalectici. Atque omnia poetae imperiti vitia contra artem metricam enumerare necessarium non esse puto. De codicibus et lectionibus si quis doceri vult, mitto ad Riesii et Baehrensii editiones; ego quidem lectiones potiores tantum adscribo, ut mutationes defendam.

**128.** Precatio Terrae Matris: carmen sic dicis.

Dea sancta Tellus, rerum naturae parens,
Quae cuncta generas et regeneras sub diu,
Quod sola praestas gentibus tutelam _
Caeli ac maris divum arbitra rerumque omnium,
Per quam silet natura | et somnum capit,
Itemque lucem reparas et noctem fugas:
umbras
Tu Ditis ima tegis et immensum chaos
Ventosque et imbres tempestatesque contines
Et, cum libet, dimittis et misces freta
Fugasque solem | et procellas concitas,
Itemque cum vis hilarem promittis diem et
Alimenta vitae tribuis perpetua fide,
Et cum recesserit anima | , in te refugimus:
Ita quidquid tribuis, in te cuncta recidunt.
Merito vocaris Magna tu Mater deum,
Pietate quia vicisti divum nomina.

---

2. sub diu *Radermacher:* sidus *codd.,* assiduo *Riese,* in dies *Buecheler,* sidera *Schneider.* — 3. tutela *codd.,* vitalia *Baehrens.* — 4. divum *codd.,* diva *Baehrens,* arbitra rerumque D: arbitrarumque B C, arbitratumque A. — 5. quam D, quem A C, quem (a supra e) B. — somnum D: somnos B, somnus A C. — 6. Itemque D: idemque A B. — 7. ditis umbras A B, ditissima umbras C D, (umbras *glossa vocis* ima *subesse videtur*). — immensum *Schneider:* inmensus A, inmensos B C D. — 8. *medio in versu mutatur rhythmus.* — 14. recidunt A: recedunt B C D. — 16. nomina *codd.:* numina *edd., sed* nomina *suo loco stat, quod in superstitione* nomen *permultum valet; cf. v. 20, alterius carminis v. 22.*

Tu | illa vere gentium et divum parens, 6 7
Sine qua nec maturatur quicquam nec nasci potest.
Tu es magna, tu es divum regina ⟨o⟩ dea.
Te, diva, adoro tuumque ego nomen invoco,
Facilisque praestes hoc mihi, quod te rogo,
Referamque gratis, diva, tibi merito fide;
Exaudi, quaeso, | et fave coeptis meis;
Hoc quod peto a te, diva, mihi praesta volens:
Herbas, quascunque generat maiestas tua,
Salutis causa tribuis cunctis gentibus:
Hanc mihi permittas medicinam tuam ⏑ –.
Veni ad me cum tuis virtutibus ⏑ –:
Quidque ex his fecero, habeat eventum bonum,
Cuique easdem dedero quique easdem a me acceperint,
Sanos eosdem praestes. nunc diva [postulo ut] hoc mihi
Maiestas praestet ⟨tua⟩, quod te supplex rogo.

## 129. Precatio omnium herbarum.

Nunc vos potentes omnes herbas deprecor.
Exoro vos maiestatemque vestram, quas
Parens tellus generavit – – – ⏑ –
– – et cunctis gentibus dono dedit:
Medicinam sanitatis in vos contulit
Maiestatemque, ut omni generi – ⏑ –
Humano sitis auxilium utilissimum.
Hoc supplex exposco precorve ⟨vos⟩ ⏑ –
⏑ huc adeste cum vestris virtutibus;
Quia quae creavit, ipsa permisit mihi
Ut colligam vos, hoc favente etiam, cui
Medicina tradita est, quantumque vestra –
Virtus potest, praestate medicinam bonam,
Causam salutis. gratiam, precor, mihi
Praestetis per virtutem vestram, ut omnibus

---

17. tu A: tum B C D. — vere A: ver et B C, vero D. — 19. regina dea *codd.*, o *supplevit Fridericus Vollmer,* ac *Riese.* — 20. nomen B C D: numen A. — 22. gratis *Baehrens:* gratias A C D, graciam B. — 25. maiestas tua *transposuit Schneider:* tua maiestas *codd.* — 29. quidque *Baehrens:* quidquid *codd.* — 31. eosdemque praestes *codd.* — postulo ut *glossema delevit Schmidt.* — 32. tua *suppl. Riese, om. codd.*

2. exoro maiestatemque vestram vos quas *codd., transposui.* — 8. vos *supplevit F. Vollmer.* — 9. adeste te A, adestote B C D. — 10. quia quae *Baehrens:* quaque D, quia qui A B C. — creavit vos *codd.*, vos *eiecit Baehrens.* — ipsa B C D, ipse A. — 11. faventem A, favente hoc B C D. *transponendum est, an* fävente? — 14. sanitatis *codd.*, salutis *Schmidt.* — 15. virtutem B C D: tutelam A.

Virtutibus quidquid ex vobis fecero
Cuive homini dedero | habeat effectum celerrimum
Et eventus bonos, uti semper mihi
Liceat favente maiestate vestrā vos
Colligere . . . . . . . . . . . . . ⟨vos rogo⟩.
Ponamque vobis fruges et gratis agam
Per nomen maiestatis, quae vos iussit nascier.

**130.** Similis est his precationibus incantatio ab Harpocratione tradita (Pitra Anal. sacra V p. 293) quae aliquando metricis legibus composita fuisse videtur.

*Μάκαρ βοτάνη, τῶν θεῶν ἡγῆτορ, ἄνασσα πᾶσαν ἐν φυτοῖς δυναστῆρα* (!) *γαῖαν κρατοῦσα, οὐρανοῦ καὶ ἀέρος νοῦν λύουσα βοτρυοφόρῳ πότῳ, ὅπως λύειν παντελῶς πιόντας σε οἴνῳ οὐδεὶς οὐ λόγῳ, οὐ σώματι ἰατήρ τις πρός σε δυνήσεται· ἀλλ' ἐλέγχεις ὅσα ἔμψυχοι βροτοὶ οἱ ἐγκρύφως ἔχουσι μυστικὰς φρένας· ἡ ἄρρητος ἄμπελος, πάντ' ἐκφωνεῖς μόνη ὅσα γραφαῖς ἢ φαρμακείαις γίνεται ἢ πελέκει ὅσα τοιαῦτα κρύπτεται· πάντα μὲν λελέχθω, μυστήριον εἶχεν, καὶ ἄλλα μυστήρια κοσμικά, ὡς ἐμβαλεῖν ὅλως εἰς εὐφροσύνην, μὴ φαῦλον εἰπεῖν ἀλλ' εὐωχίαν ἔχειν.*

Cod. Μακάρα; trimetri iambici latent, veluti

οἱ ἐγκρύφως ἔχουσι μυστικὰς φρένας·
[ἡ] ἄρρητος ἄμπελος πάντ' ἐκφωνεῖς μόνη etc.

et in fine: μὴ φαῦλον εἰπεῖν, ἀλλ' εὐωχίαν ἔχειν.

Sequatur cantatio, quae laudationem remedii praebet:

**131.** Aet. Amid. II 19: Τηκόλιθος, ὃν συριακὸν καλοῦσιν . . . . ὁ δὲ Νεχεψὼς φησι· τρῖβε τὸν τηκόλιθον μεθ' ὕδατος καὶ ποιήσας γλοιοῦ λεπτοῦ τὸ πάχος καὶ ἀποξυρήσας τὰς τρίχας τὰς περὶ τὴν κύστιν καὶ τὸ αἰδοῖον κατάχριε καὶ τῆκε τὸν λίθον τὸν ἐν τῇ κύστει. ἐπῳδή· *χαῖρε θάλασσα Ἀράβων, φέρουσα πημάτων ἄκος, εὕρημα τηκόλιθον.* μετὰ μυρσίνου δὲ ἐλαίου ἀνεθεὶς τοῖς ποδαγρικοῖς ἐπαρκεῖ ἐπιχριόμενος.

Aetii Amideni ed. Aldina Venetiis 1534 praebet διὸ δὴ atque ita verbum ἐπῳδὴν non cognovit, quod emendavit Val. Rose in Hermae vol. IX p. 489, cf. Riess Nechepsonis et Petosiridis fragmenta in Philol. suppl. VI (1892) p. 380.

Saepe etiam in amuletis videmus et alias deorum invocationes et precationes, ut qui tabellam portet, liberetur aut servetur a morbo.

**132.** Kaibel. Inscr. graec. Siciliae Italiae no. 2413, 12 descripsit iaspidem viridem cum figura et nomine ΚΝΟΥΒΙϹ (i. e. ℵΝΟΥΒΙϹ) et hac inscriptione: *φύλα[ξ]ον ὑγείῃ στόμαχον Πρόκλου.*

---

16. Virtutibus B: viribus ACD, vīris *proposuit F. Vollmer.* — 17. eventus bonos Et effectum celerrimum *Baehrens.* — 18. ut *codd.* — 20. *Lacunam indicavit Schmidt,* vos rogo *adiecit F. Vollmer.* — 21. ponamque AC: pugnamque BD. — gratis *Baehrens:* gratias *codd.* — 22. quae D: qui ABC. — nascier *Riese:* nasci *codd.*

**133.** ib. 2413, 15 a = Henzen 'bull. archeol.' 1866 p. 253: *ἐπικ[α]λοῦμ[αί] σε κυρι[εί]α*, secuntur ἐφέcια γράμματα, et in altera parte (b) leguntur inde a v. 2. *θε[ὰ Ἰ]σι[ς] ἀπάλλαξον Πρίσκον ἀπὸ τοῦ πόνου τοῦ ἥπατος*; cf. Kopp palaeogr. crit. IV § 794. *ἀπάλλαξον τὸ περὶ τὸν στόμαχον πάθος τοῦ πάσχοντος*.

**134.** Etiam inscriptio ib. no. 2413, 14, quam Amati 'giornal. arcad.' 1820 vol. VI 168 sic legit: *ἐπ[ι]καλο[ῦ] μέ σε, μεγαλόδοξε, ὃς ἰάματα ἔθηκας καὶ ἐσά[κ]ο[υσόν] μο[υ] καὶ π[οί]η[σ]ό[ν] με [ἐ]πιτυχε[ῖ]ν ὅ[τι β]ο[ύλ]ο[μαι]?* .... v. 6. *ὁποιονοῦν νόσημα διὰ τὸ μέγα ὄνομά σου κτλ.* ad morbum depellendum videtur adhibita esse.

Denique incantamentum tractandum est, quod ad singularem antiquitatis superstitionem respicit:

**135.** Hipp. p. 123, c. 980. Πρὸc λύκον τὸ πάθοc ζῴων· ἵνα πρῶτοc ὁρῶν τιc οὕτωcὶ εἴπῃ· *οὐκ ἔλαθες, λύκος εἶ καὶ δάκῃ τὸν τόπον τοῦτον τρίτον καὶ καθάπαξ δακέτω.*

(αὐτοcὶ cod., corr. Radermacher.)

Haec incantatio sine dubio consistit in illa prisca opinione, hominem obmutescere, si lupus eum, qui illi obviam eat, prius viderit, quam homo lupum; cf. Plin. VIII 80. *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens,* et Servius ad Verg. ecl. IX 54. *etiam physici confirmant, quod voce deseratur is, quem prior viderit lupus: unde etiam proverbium natum est 'lupus in fabula', quotiens supervenit ille, de quo loquimur et nobis sui praesentia amputat facultatem loquendi,* cf. Anecdot. Helvet. p. 273, 11 Hagen. et Otto 'Sprichwörter der Römer' p. 199 sq. Ad hanc superstitionem de lupo multis locis scriptores alludunt, cf. Plato de republ. I 336 d, Theocr. XIV 22, Verg. ecl. IX 54, Geopon. XV 1, 8 ὁ λύκοc προορῶν τὸν ἄνθρωπον ἀcθενέcτερον αὐτὸν καὶ ἄφωνον ποιεῖ, ὡc ὁ Πλάτων ἐν ταῖc Πολιτείαιc αὐτοῦ φηcιν· ὀφθεὶc δὲ πρότεροc ὁ λύκοc αὐτὸc ἀcθενέcτεροc γίνεται. Haec opinio vulgaris de lupo etiam apud Germanos, Francogallos, Italos nostri temporis floret vigetque; cf. Wuttke § 271, Liebrecht 'Zur Volkskunde' p. 335.

## VIII. Incantamenta, quibus actio magica adiuvatur.

Sed veniamus ad alterum genus incantationum, quae locum experimentorum superstitiosorum obtinere aut vim eorum augere putabantur; veluti apud omnes gentes nudam mulierem aut virginem plurimum valere atque vim avertentem in ea inesse, persuasum habebant homines harum rerum curiosi; gestus enim obscoenus iniuriosus et contumeliosus erat; itaque malum imminens depellere potuit (cf. Iahn 'Böser Blick' p. 80 sq. et 93 sq.). Saepissime in cultibus institutisque lustralibus invenimus mulieres nudas aut menstruatas

munere magico functas, veluti Plinius scribit (XXVIII 77): *Iam primum abigi grandines turbinesque contra fulgura ipsa mense nudato. sic averti violentiam caeli, in navigando quidem tempestates etiam sine menstruis ......: quocumque autem alio menstruo si nudatae segetem ambiant, urucas ac vermiculos scarabaeosque ac noxia alia decidere. Metrodorus Scepsius in Cappadocia inventum prodit ob multitudinem cantharidum, ire ergo per media arva reiectis super clunes vestibus. alibi servatur, ut nudis pedibus eant capillo cinctuque dissoluto.* Ad multa mala abigenda experimenta nudae aut menstruatae mulieris prodiderunt Columella X v. 357 sq., XI p. 464, Geopon. I 15 et adnot. Niclasii editoris, ib. II 42, 3, XII 8, 5; de aliis populis cf. Grimm 'Deutsche Mythologie' I[4] p. 493 sq., II[4] p. 989, Wuttke l. i. § 249; apud Russos Slavosque nostra aetate vigent actiones magicae lustrandi causa a duodecim pueris et puellis nudis perfectae, quae cum antiquis usibus plane congruunt; cf. Krauss 'Volksglaube und religiöser Brauch der Südslaven' p. 66 sq., cf. p. 52, 55 etc.

Hanc sententiam exprimit etiam incantatio, quam edit

**136.** Plin. XXVI 92. Panos sanat panaces ex melle ..... experti affirmavere plurimum referre, si virgo imponat nuda ieiuna ieiuno et manu supina tangens dicat: 'Negat Apollo pestem posse crescere, cui nuda virgo restinguat.' atque ita retrorsa manu ter dicat totiensque despuant ambo.

Deinde sequatur ἐπῳδή, quae pertinet ad vim salutiferam lauri.

**137.** Diogenian. prov. IV 78. Ἐφέσια γράμματα: ἐπῳδαί τινες ἦσαν ὥσπερ οἱ φωνοῦντες[1]) ἐνίκων ἐν παντί. ταὐτὸ τῇ· *Δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν*, cf. Zenob. III 12 = Diog. IV 14. *Δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν.* τοῦτο λέγειν εἰώθασιν οἱ ὑπό τινων ἐπιβουλευόμενοι, παρόσον ἀλεξιφάρμακον ἡ δάφνη.

Inter arbores plurimi aestimabatur laurus, cui malam fascinationem quoque averruncanda potestas tribuebatur. Atque ita saepissime in ostiis domuum inserebatur, *gratissima domibus et ianitrix Caesarum pontificumque* (Plin. XV 127). Laurus erat Apollini sacra arbor, sola arborum *manu satarum inque domos receptarum fulmine non icitur* (Plin. XV 134). Etiam in medicina usus lauri valde floruit; venena exstinguit (Plin. VIII 101). cf. Iuv. VI 226, Ovid. fast. III 137, Anecdota graeca ed. Boissonade I 1 p. 425, Geopon. XI 2, 5, Etymol. magn. s. v. Ἀντήνους, Theoph. Char. 16. Ex hac opinione, lauro inesse facultatem salubrem, usus coronas laureas in sepulcris et domibus insculpendi ortus est, veluti CIL. III 120 corona laurea

1) Becker-Marquardt in 'Handbuch der röm. Alterthümer' IV Lipsiae 1856 p. 123, praeferre vult 'φοροῦντες', lectionem codicis Bodleiani 447, sed Ἐφέσια γράμματα et dici et portari solebant, itaque difficile est rectam lectionem constitui.

inest, infra angues duo cum hac inscriptione: INTRA ... FEL(iciter); cf. ib. VI 77, 2278, 20191, VII 544, Eph. epigr. VIII 244, Kaibel IGSI. nr. 1834.

Afferendae sunt hoc loco inscriptiones domorum, quae abigere malum fascinum credebantur; nonnullae huiusmodi et a scriptoribus antiquis memoriae traduntur et in domibus re vera inscriptae inveniuntur, ut exstat apud

**138.** Laert. Diog. VI 39. Εὐνούχου μοχθηροῦ ἐπιγράψαντος ἐπὶ τὴν οἰκίαν· *μηδὲν εἰσίτω κακόν*· ὁ οὖν κύριος, ἔφη (sc. Διογένης), τῆς οἰκίας ποῦ εἰσῆλθε;

**139.** ib. VI 50. Νεογάμου ἐπιγράψαντος ἐπὶ τὴν οἰκίαν·

*ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς*
*ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰσίτω κακόν*·

ἐπέγραψε μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία.

Haec narratio invenitur etiam apud Clem. Alex. strom. VII 4, 26 p. 302 Sylb., quem Theodoretus affect. cur. VI 239 ed. Gaisf. exscripsit, et Gnomol. Vatic. 564 ed. Sternbach 'Wien. Stud.' XI 238; cf. Preger Inscriptiones graecae metricae nr. 213. Homini, qui domum possederit, nomen fortasse fuisse Heraclem putat Nauck (Philol. V p. 559 sq.), qui hos esse versus iambicos primus vidit; sed hoc mihi parum verisimile videtur; multo magis persuasum habeo fausti ominis causa nomen dei aut daemonis tutoris inscriptum esse (cf. Iahn 'Böser Blick' p. 75 sq.), atque inter deos fautores summi habebatur Ἡρακλῆς, cuius cognomen eadem de causa ἀλεξίκακος erat; cf. Lucian. in fugitiv. 32, Diodor. V 64, Kopp crit. pal. IV § 728 sq. Sed haec inscriptio etiam in lapidibus insculpta adhuc exstat CIL. IV 733, inscriptio parietaria Pompeiana: ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλί¦νεικος Ἡρακλῆς | ἐ(νθ)άδαι | κατοικεῖ | μηδὲν εἰ¦σειαίτω | κακόμ, cf. Buecheler mus. Rhen. XII 248 et Kaibel epigr. graec. no. 1138, ubi eosdem versus perditos in lapide CIG. III 4673 cognovit.

Conferri possunt versus a Buechelero in Anthologiae epigraphicae latinae spec. I n. IX (= Or. 4957) editi:

**140.** Hercles invicte, sancte Silvane, [ad tuos
hic advenisti: ne quid hic fiat mali.

**141.** In hunc numerum inscriptionum refert Kaibel l. i. no. 1137 = CIG. III 6308 (Wilamowitz bull. archeol. 1874 p. 51):

*ὁ πανσίλυπος οἶκος οὗτός ἐστιν ἀσφαλῶς*
*ἐστί⟨ν⟩ δὲ καὶ σιγᾶν ἀκίνδυνον γέρας.*

**142.** Iulian. or. VI p. 200 b. Ἐπὶ τούτου (sc. Cratetis Cynici) φαcὶ τοὺc Ἕλληνας ἐπιγράφειν τοῖc ἑαυτῶν οἴκοιc ἐπὶ τῶν προπυλαίων· *εἴσοδος Κράτητι ἀγαθῷ δαίμονι.*

Cf. Iahn 'Böser Blick' p. 75 sq., Lobeck 'Aglaophamos' II p. 1239. Versum, quem supra attulimus, μηδὲν εἰcίτω κακόν imitando Plato alium effinxisse dicitur; cf. Preger l. c. no. 276, Philopon. in Aristot. de an. l. prim. D p. 6 l. 8 (Trincavelli): Πυθαγόρειος δὲ ὁ Πλάτων οὗ καὶ πρὸ τῆc διατριβῆc ἐπεγέγραπτο· ἀγεωμέτρητοc μηδεὶc εἰcίτω; quae verba Preger ita constituit:

μηδεὶc ἀγεωμέτρητοc εἰcίτω ⟨cτέγην⟩,

cf. Tzetz. chil. VIII 973 et David. Schol. in Aristot. p. 26 a, 10. Ceterum de more Graecorum versus in ianuis insculpendi cf. Dilthey, ind. Gotting. 1878/79 p. 4 sq.

Similia apud Romanos invenimus; plerumque inscriptionis fascinationem avertentis facultas augetur obscenis rebus.

**143.** CIL. IV 1454. 'Hic habitat Felicitas' cum imagine phalli in pariete Pompeiano, ad quae verba adnotat Orelli (no. 4340) 'sic plerisque domibus Pompeiis habitatorum nomina sunt inscripta'; sed Felicitas non est habitatricis nomen, hoc enim loco Orelli eodem errore quo Nauck perductus est.

Orelli-Henzen III 7287. [Felicitas] hic habitat, nihil interet mali. = 'Bull. archeol.' 1841 p. 125.

CIL. III 5561. Hic habitat [Felicitas], nihil intret mali, cf. 'Sitzungsberichte der k. k. Akademie' Vindobonae VI p. 185 tab. 6 d, Felicitas supplevit Abeken 'bull. dell' Inst.' 1841 p. 125.

CIL. X 8053, 7. Lucerna cum his verbis: hoc habitat felicitas car ... et cum erotum duorum effigie in actu stupri.[1])

Sed haec de inscriptionibus, quae προβαcκάνια erant; alia incantamenta afferenda sunt, quibus vis magica experimenti symbolici augeatur.

**144.** Lucian. dial. meretr. IV 5 ... ἐπῳδήν τινα λέγουcα ἐπιτρόχῳ τῇ γλώccῃ βαρβαρικὰ καὶ φρικώδη ὀνόματα ...... ἔτι δὲ καὶ τοῦτό με cφόδρα κατὰ τῆc Φοιβίδοc τὸ μίcηθρον ἐδιδάξατο, τηρήcαcαν τὸ ἴχνοc, ἐπὰν ἀπολίπῃ, ἀμαυρώcαcαν ἐπιβῆναι μὲν τῷ ἀριcτέρῳ ἐκείνηc τὸν ἐμὸν δεξιόν, τῷ δεξιῷ δὲ τὸν ἀριcτερὸν ἔμπαλιν καὶ λέγειν *Ἐπιβέβηκά σοι καὶ ὑπεράνω εἰμί.*

Hic usus magicus creberrimus est, atque etiam in aliarum gentium superstitione; ut a Germanis inimicus et aemulus opprimitur, cum in vestigium illius clavus infigitur. (Cf. Wuttke § 392, 396.)

---

1) Idem valet quod effigies phalli aut alius rei obscenae, cf. Sittl 'Gebärden' p. 121 sq.

Similiter apud Theocritum in clarissimo idyllio magico in amatorio ritu effigies cerea[1]), quae amatorem perfidum significat, fabricatur.

**145.** Theocr. II 21. Πάϲϲ' ἅμα καὶ λέγε ταῦτα· *τὰ Δέλφιδος ὀστία πάσσω.* Cf. v. 62. καὶ λέγ' ἐπιφθύζοιϲα· *τὰ Δέλφιδος ὀστία μάσσω*; tum in effigiem symbolico modo acus tenues immittuntur a saga et effigies ipsa flammis traditur; ut sicut igne cera tabescit, ita amore amator consumatur; cf. supra p. 485 versus Theocriti et Vergilii. — Fortasse etiam afferri carmen decies repetitum (Theocr. II 17) necesse est.

ἶυγξ, ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα,

cui respondet Vergilii (ecl. VIII 68) saepe repetitus versus:

ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.

Ut in ritu magico amatorio simulacrum cereum locum amatoris obtinet, sic in medicamento ad strigas expellendas pro infantis corpore intestina porcina illis volaticis offeruntur. Ovidius narrat mythum de dea Carna, quae Procam regem ab avibus nocturnis liberat, sed Cardeam, deam cardinum, propulsatricem omnium noxiorum daemonum, inprimis a pueris infantibus, et Carnam vel Cranem, deam extorum vitalium, permutat:

**146.** Ov. Fast. VI 141 sq.

Sive igitur nascuntur aves, seu carmine fiunt,
naenia[2])que in volucres Marsa figurat anus:
in thalamos venere Procae. Proca natus in illis
praeda recens avium quinque diebus erat,
pectoraque exsorbent avidis infantia linguis:
at puer infelix vagit opemque petit.
territa voce sui nutrix accurrit alumni
et rigido sectas invenit ungue genas.
quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
esse solet seris, quas nova laesit hiems.
pervenit ad Cranen et rem docet. illa 'timorem
pone! tuus sospes' dixit 'alumnus erit'.
venerat ad cunas: flebant materque paterque.
'sistite vos lacrimas, ipsa medebor' ait.
protinus arbutea postes ter in ordine tangit
fronde, ter arbutea limina fronde notat,
spargit aquis aditus — et aquae medicamen habebant —
extaque de porca cruda bimenstre tenet.
atque ita 'noctis aves, extis puerilibus' inquit
'parcite: pro parvo victima parva cadit.

---

1) Imago cerea saepe adhibetur, cf. Hor. epod. V 81, XVII 76, sat. I 8, 30, Ov. ep. VI 91, amor. III 7, 29, Verg. ecl. VIII 81.

2) Naenia est carmen vel incantatio.

cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras.
  hanc animam vobis pro meliore damus'.
sic ubi libavit, prosecta sub aethere ponit,
  quique adsint sacris, respicere illa vetat.
virgaque lanalis de spina ponitur alba,
  qua lumen thalamis parva fenestra dabat.
post illud nec aves cunas violasse feruntur,
  et rediit puero, qui fuit ante, color.

Locum Ovidii totum attuli, quod historiolam universam, quorum exempla supra p. 495 sqq. iam enumeravi, non solum verba Carnae 'noctis aves, extis puerilibus parcite....' pro incantamento adhibitam esse puto.

Deinde reperiuntur verba magica in Lemuriorum Romanorum ritu usurpata, quae exstant apud eundem

**147.** Ov. Fast. V 433 sq.:

Signaque dat digitis medio cum pollice iunctis,
  occurrat tacito ne levis umbra sibi;
cumque manus puras fontana perluit unda,
  vertitur et nigras accipit ore fabas
aversusque iacit. sed dum iacit 'haec ego mitto,
  his' inquit 'redimo meque meosque fabis'.
hoc novies dicit nec respicit. umbra putatur
  conligere et nullo terga vidente sequi.
rursus aquam tangit Temesaeaque concrepat aera
  et rogat, ut tectis exeat umbra suis;
cum dixit novies 'manes exite paterni',
  respicit et pure sacra peracta putat.

## IX. Incantamenta e ludis puerilibus enucleata.

Priusquam ad incantamenta vertamur, quae non natura menti atque opinioni populi insita erant, sed a magis ac praestigiatoribus orientis ad Graecos Romanosque delata sunt, pauca dicamus de quibusdam puerilibus ludis et cantilenis, quae certe principio incantationes erant. Ad hunc morem illustrandum aptissimus est locus

**148.** Hor. art. poet. 417:

Occupet extremum scabies.

Ad quem versum, ut intellegatur, scholiastarum adnotationes inspicere necessarium est; Acron: 'occupet.... ille patiatur scabiem, qui extremus componet versus; μεταφορικῶς autem locutus est a ludo puerorum. Ita enim pueri currentes aiunt: 'occupet scabies in extremo remanentem'.... scabies ludus puerorum est, ut habes in Suetonio Tranquillo (cf. Sueton. ed. Reifferscheid. p. 346 no. 198). Porphyrio ib.: hoc ex ludo puerorum sustulit, qui ludentes solent dicere: quisquis ad me novissimus venerit, habeat

scabiem.[1]) Comment. Cruquianus: est autem imprecatio tracta a ludo puerili. qui enim praeest currentibus ad metam pueris, dicere solebat: qui primus ad metam venerit, is vicerit eumque in ulnas meas accipiam; qui vero erit ultimus, occupet eum scabies, eum respuam ut scabiosum.

Otto 'Sprichwörter der Römer' p. 311 putat proverbium esse 'occupet extremum scabies'. Etiam apud Graecos haec verba inveniuntur; in scholio ad Aristoph. Aves 1297 exstat Phrynichi versus *ψῶρ' ἔχε Συρακόσιον*, ἐπιφανὲς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι; cf. Phrynichi fragm. VIII apud Meinekium, fragm. com. Graec. II p. 590.

Item in verbis ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε (cf. Bergk PLG. III[4] p. 663) agnosco incantamentum:

**149.** Poll. IX 123: ἡ δὲ *ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε* παιδιὰ κρότον ἔχει τῶν παίδων σὺν τῷ ἐπιβοήματι τούτῳ, ὁπόταν νέφος ἐπιδράμῃ τὸν θεόν. ὅθεν καὶ Στράττις ἐν Φοινίσσαις (Meineke II p. 781)·

εἶθ' ἥλιος μὲν πείθεται τοῖς παιδίοις
ὅταν λέγωσιν 'ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε'.

Cf. Suidas s. v. ἐξέχειν τὸν ἥλιον qui affert Aristophanis fragmentum ex Comoedia Νῆσοι et Eustath. Il. Λ 733, 881, 42. Vulgo enim putabant superstitione metuque capti homunciones nubes ad solem accedentes sidus opprimere[2]), sed multo magis defectum solis aut lunae magnum esse malum (πάθημα, πάθος, labor, laborare, pati); atque etiam interdum mortem illius sideris, quae venenis atque herbis a sagis inferatur. (Plin. XXV 10.) Vide etiam Plin. II 54: *Viri ingentes, supraque mortalium naturam tantorum numinum lege deprehensa et misera hominum mente insolita*[3]) *in defectibus scelera aut mortem aliquam siderum pavente, quo in metu fuisse Stesichori et Pindari vatum sublimia ora palam est deliquio solis, at in luna veneficia arguente mortalitate et ob id crepitu dissono auxiliante* ..... Contra hanc, quae videbatur vulgo, calamitatem medicamentis vim malam magicam solventibus usi sunt, inprimis sonitu acuto instrumentorum aheneorum et magno clamore nubes fugare conati sunt. Permultos locos de hac opinione superstitiosa, quae late versatur, collegit Roscher 'Selene' p. 89, cf. Verg. Georg. II 478, Lucr. V 749, Sen. nat. quaest. VII 1, 2, Iuv. VI 441 schol., Claudian. XXVI 233 sq., Sid. Apoll. XV 80, Philostr. Her. X 2, Arrian. An. III 7, 6.

Itaque huc spectare puto versiculum e ludis puerorum ἔξεχ' ὦ φίλ' ἥλιε, quod etiam elucet e plausu manuum cum hac cantione coniuncto. (Cf. Rohde 'Psyche' p. 248, adn. 2.)

---

1) Luc. Müller in Fleckeiseni ann. 1864, vol. 89, p. 484 versum ita restituit: 'hábeat scabiem quísquis ad me vénerit novíssimus', cf. Baehrens fragm. poet. Rom. p. 56.

2) cf. Schwartz 'Die poetischen Naturanschauungen' I p. 215 sq. et Mannhardt 'German. Mythenforsch.' p. 395 adn.

3) codd. insoluta.

Fortasse etiam versus puellarum, quae ludum inter se captandi vel celerrime currendi ludunt his incantamentis, quae postea in ludos puellarum recepta sunt, adnumerandus est:

**150.** Poll. IX 127. καὶ ἡ

*φίττα Μαλιάδες, φίττα Ῥοιαί, φίττα Μελίαι*

παρθένων ἦν (sc. παιδιά).

Cf. Eustath. p. 1963,35 ad Odyss. ω 340 et p. 855,25 ad Il. Λ 438.

Unum exemplum afferam, quo etiam apud alios populos incantamenta in ludos pueriles transiisse demonstratur. Multis enim Guestfaliae locis, atque inprimis in patria mea certis diebus hi versus a pueris cantantur:

Riut riut sunnenfuegel,
Suente Peiter ies kuemen,
Suente Tigges well kuemen,
riut riut alle mius,
alle't unglück iut duesem hius.

Cf. Firmenich-Richartz 'Germaniens Völkerstimmen' I p. 348, Kuhn 'Sagen aus Westfalen' II p. 120 sq., Woeste 'Germania' vol. IX p. 288. His versibus olim mala calamitatesque depellebantur, postea in thensaurum carminum puerilium recepti sunt. 'Sunnenfuegel', quae hic excantantur, papiliones vermes erucae, ut opinio vulgaris putat, a locustis et diabolis nascuntur, atque iis utuntur feminae artes magicas tractantes ad morbos movendos. Itaque morbi ipsi 'die fliegende Elbe' vel 'Schmetterlinge' nominantur. Cf. Grimm 'Deutsche Mythologie' II[4] p. 898 et 968, Kuhn 'Sagen aus Westfalen' II p. 210.

## X. Versus Homerici et Vergiliani.

Incantamenta, quae nunc tractavimus, omnia fere e populi ingenio, natura, opinione fluxerunt; ab hac superstitione volgari, quae natura nascitur, valde dissimilis est illa, quam dementes philosophi commenti sunt; quamquam saepe non est facile iudicare, singulae res superstitiosae utrum e populari an ex artificiosa, ut ita dicam, superstitione natae sint, tamen discrimen inter duo genera neglegendum non est. Artificiosa haec doctrina secreta a singulis magis fallacibus atque insanis sapientibus ficta est atque perfecta. *Der Volksaberglaube dagegen ist durchaus naturwüchsig,* ut ait Wuttke l. i. § 8, *ohne Berechnung und Theorie instinctartig und unbewusst aus dem heidnisch getrübten Volksgeiste* (sc. der Deutschen) *hervorgewachsen, weiss nicht, woher, warum und wohin, trägt durchaus den Charakter der Naivetät, speculiert nicht und macht kein System, sondern glaubt einfach und handelt.* Quae ars populari opposita magia κατ' ἐξοχὴν vocatur, quae ad Graecos et Romanos partim ab orientis populis magicis Persis, Iudaeis, Chaldaeis, Aegyptiis illata est, partim

a disciplinis philosophis conformata, sed hoc non ante factum est quam superstitiones orientales invectae sunt. Quod etiam disciplina magica incantationum carminibus utebatur, mirum non est, cum magi eodem modo verbo ac voci maximam tribuerint vim. Atque primum quidem considerandus nobis est usus versuum Homericorum, qui posterioribus temporibus in magia valde florebat. Non e populari opinione hic usus mihi fluxisse videtur, sed a philosophis magicae artis curiosis introductus esse; nam de Pythagoricis[1]) versus Homericos ad experimenta mystica adhibentibus vide Iamblichum (de vita Pyth. XXIX 164 Nauck, cf. XXIV 111): χρῆcθαι δὲ καὶ ταῖc ἐπῳδαῖc πρὸc ἔνια τῶν ἀρρωcτημάτων .... ἐχρῶντο δὲ καὶ Ὁμήρου καὶ Ἡcιόδου λέξεcιν ἐξειλεγμέναιc πρὸc ἐπανόρθωcιν ψυχῶν. Atque Dio Chrysost. I 21 Dind. testatur Homeri carmina a magis cantata esse: ποῖοc οὖν Ὅμηροc ἢ τίc Ἀρχίλοχοc ἰcχύει τὰ κακὰ ταῦτα ἐξᾷcαι; Homeri versus posterioribus temporibus valde vigebant; Stoici praeter omnes in mythis ἀλληγορικῶc interpretandis saepissime eum commemorabant (cf. Zeller 'Philosophie der Griechen' III 321 sq.). Apud Gnosticos atque inter eos maxime apud Naassenos, qui vocantur, Homerus auctoritatem et partes quasi prophetae excipit (cf. Dieterich 'Abraxas' p. 78 adn. 3). Quin etiam Galenus, medicus sapientissimus, hanc Homericorum versuum superstitionem admisit, si Alexandro Talliano II p. 475 credere volumus, quae verba etiam apud Rufum Ephesium p. 402 ed. Daremberg-Ruelle exstant: 'ἔτι δὲ καὶ ὁ θειότατοc Γαληνὸc μηδὲν νομίcαc εἶναι τὰc ἐπῳδὰc ἐκ τοῦ πολλοῦ χρόνου καὶ τῆc μακρᾶc πείραc εὗρε μεγάλωc δύναcθαι αὐτάc. ἄκουcον αὐτοῦ λέγοντοc, ἐν ᾗ περὶ τῆc καθ' Ὅμηρον ἰατρικῆc ἐξέθετο πραγματείαc· ἔχει δὲ οὕτωc 'ἔνιοι γοῦν οἴονται τοῖc τῶν γραῶν μύθοιc ἐοικέναι τὰc ἐπῳδάc, ὥcπερ κἀγὼ μέχρι πολλοῦ. τῷ χρόνῳ δὲ ὑπὸ τῶν ἐναργῶc φαινομένων ἐπείcθην εἶναι δύναμιν ἐν αὐταῖc· ἐπί τε γὰρ τῶν ὑπὸ cκορπίου πληγέντων ἐπειράθην ὠφελείαc, οὐδὲν δ' ἧττον κἀπὶ τῶν ἐμπαγέντων ὀcτῶν ἐν τῇ φάρυγγι δι' ἐπῳδῆc εὐθὺc ἀναπτυομένων καὶ πολλὰ γενναῖα καθ' ἕκαcτόν εἰcι καὶ ἐπῳδαὶ τυγχάνουcαι τοῦ cκοποῦ'. In Galeni scriptis spuriis exstat tractatus 'de incantatione, adiuratione et suspensione' apud Charterium X p. 573 et in edit. Iuntina VII fol. 41; cf. Fabricius-Harless biblioth. Graec. tom. V p. 453 no. 134. Etiam in libro de occultis rerum proprietatibus Galenum Homericam incantationem approbasse eiusque rei auctorem esse Alexandrum Trallianum lib. IX cap. IV dicit Keuchen in proleg. ad Serenum Sammonicum p. 65; sed neque Galeni neque Alexandri Tralliani locum inveni.

Sed ad Homeri versus ipsos ad artem magicam usurpatos vertamur. Supra p. 496 iam nonnullos afferri necesse erat; Luciani locum

---

1) Pythagoram et qui eum secuti sunt, ἐπῳδαῖc usos esse saepe tradunt scriptores; cf. Porphyr. vit. Pyth. c. 30, 33 etc., Iamblich. de vita Pyth. XXV 114.

e Charon. VII, ubi Hermes Charona caecutientem versibus Homericis (Il. Ε 127 sq.), quibus Minerva Diomedem ab oculorum caligine liberavisse narratur, mire sanat; versus sunt hi:

ἀχλὺν δ᾽ αὖ τοι ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
ὄφρ᾽ εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Ibidem attuli Marcelli (VIII 58) remedium contra oculorum dolorem, quod constat ex Homeri versu Il. Γ 277, Od. λ 109, μ 323:

ἠέλιος ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ καὶ πάντ᾽ ἐπακούει.

Deinde commemorandi sunt:

**151.** Marc. XV 108. Ad os sive quid aliud haeserit faucibus hi versus vel dicendi in aurem eius, qui offocabitur, vel scribendi in charta, quae ad collum eius lino alligetur, quo remedio nihil praestantius:

*Μή μοι Γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου*
*ἐξ Ἄϊδος πέμψειεν ἐπαινὴ Περσεφόνεια.*

(Od. λ 634, ubi quidem ἀγαυὴ Περσεφόνεια legitur.)

**152.** Contra podagram prodest hic versus Il. Β 95, quem praebet Alex. Trall. II p. 581. λέγουσι δὲ καὶ τὸν Ὁμηρικὸν στίχον

*τετρήχει δ᾽ ἀγορή, ὑπὸ δ᾽ ἐστοναχίζετο γαῖα.*

χρυσῷ πετάλῳ γράφειν αὐτὸν οὔσης σελήνης ἐν Ζυγῷ, κάλλιον δὲ πολὺ ἐὰν ἐν λέοντι εὑρεθῇ.

**153.** Duobus locis Geoponicorum[1]) commendantur versus Homeri, VII 31, 2. οὐκ ἂν δὲ μεθυσθείη ὁ πίνων, εἰ χαμαιπίτυος κλάδοις ἐστεμμένος εἴη· ἢ εἰς πρῶτον ποτήριον λέγων τὸν Ὁμηρικὸν στίχον τοῦτον (Il. Θ 170):

*τρὶς δ᾽ ἄρ᾽ ἀπ᾽ Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα Ζεύς.*

**154.** ib. X 87, 6. ὁ δὲ Δίδυμος ἐν τοῖς Γεωργικοῖς αὐτοῦ φησι συνέχειν τὸν καρπὸν καὶ τὸ Ὁμηρικὸν ἔπος γραφόμενον

*χαλκέῳ δ᾽ ἐν κεράμῳ δέδετο τρισκαίδεκα μῆνας.*

(Il. Ε 387.)

Per longissimum tempus medii aevi has incantationes in usu fuisse videmus, ut Felix Liebrecht in libro 'Gervasii Tilberiensis Otia imperialia' demonstrat; in appendice huius libri p. 218 collegit superstitiones Francogallicas ex Ioannis Baptistae Thiers 'traité des superstitions' (II. éd. Parisiis 1697). Versus Homerici, quos attuli, inveniuntur sub numeris 384 = 391, 394, 395 = 440.

1) Cf. E. Oder 'Beiträge zur Geschichte der Landwirthschaft bei den Griechen'. Mus. Rhen. XLV p. 220 adn. 2.

**155.** Huc respicit Iamblichus (de vita Pyth. XXV § 113 Nauck.), ubi narratur Empedocles ira percitum iuvenem ope musices et versus Homerici ad sanam mentem revocasse: εὐθὺς ἀνεκρούσατο (sc. Ἐμπεδοκλῆς) τὸ

*νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων*

κατὰ τὸν ποιητὴν (Hom. Od. δ 221) καὶ τόν τε ἑαυτοῦ ξενοδόκον Ἄγχιτον θανάτου ἐρρύσατο καὶ τὸν νεανίαν ἀνδροφονίας.

Nonnulla amuleta cum versibus Homericis servata sunt; veluti Wessely in Studiis Vindobonensibus VIII p. 116 'Neue griechische Ostraka' testam edidit, in qua sunt versus Iliadis Μ 442 sq. inscripti.

**156.** *ὣς φάτ' ἐποτρύνων, οἱ δ' οὔασι πάντες ἄκουον·*
*ἴθυσαν δ' ἐπὶ τεῖχος ἀολλέες, οἱ μὲν ἔπειτα*
*κροσσάων ἐπέβαινον ἀκαχμένα δούρατ' ἔχοντες.*

Porro Rumpff in Fleckeiseni annalibus philol. 1866. vol. 93 p. 716 sq. aliud amuletum musei Visibadensis publicavit cum hac inscriptione:

**157.** ΡΕΙΝΑ ΠΑΡ | ΟΦΘΑΛΜΟΝ | ΛΕΥΚΟΥ ΟΔΩ | ΠΕΡΗϹΕΝΟ,

in qua editor cognovit versum Iliadis Ε 291:

*ῥῖνα παρ' ὀφθαλμόν, λευκοὺς δ' ἐπέρησεν ὀδόντας.*

Cf. Roeper 'Ein homerischer Talisman, eine philologische Humoreske' Philolog. V p. 162 sq., 'Archaeol. Zeitung' XXV 24* adn. 73, Kaibel IGSI. no. 2580, 2.

In papyro magica, quae vocatur Parisina magna, (ed. Wessely)[1]) multa exempla huius usus exstant,

**158.** fol. 7ʳ v. 467 = fol. 10ᵛ v. 824 et v. 831: θυμοκάτοχον.

(Θ 424) *τολμήσεις Διὸς ἄντα πελώριον ἔγχος ἀεῖραι.*

fol. 7ʳ v. 469 = fol. 10ᵛ v. 832: πρὸς φίλους.

(Κ 193) *αἱρείτω, μὴ χάρμα γενώμεθα δυσμενέεσσιν.*

fol. 7ʳ v. 471 sq. = fol. 10ᵛ v. 821 sq. = fol. 24ᵛ v. 2145 sq.: τρίστιχος Ὁμήρου πάρεδρος·

(Κ 564) *ὣς εἰπὼν τάφροιο διήλασε μώνυχας ἵππους.*
(Κ 521) *ἄνδρας τ' ἀσπαίροντας ἐν ἀργαλέῃσι φονῇσιν.*
(Κ 572) *αὐτοὶ δ' ἱδρῶ πολλὸν ἀπεννίζοντο θαλάσσῃ.*

fol. 7ʳ v. 474 = fol. 10ᵛ v. 830:

(Ε 385) *τλῆ μὲν Ἄρης, ὅτε μιν Ὦτος κρατερός τ' Ἐπιάλτης.*

---

1) In 'Denkschriften der Akademie der Wissenschaften' Vindobonae 1888. vol. XXXVI 2 p. 24 sq. 'Griechische Zauberpapyri von Paris und London'.

Eximiam vim his Homeri versibus inesse putabant praestigiatores fallaces atque ita ad varia negotia magica commendabant; cf. fol. 24ᵛ v. 2152 sq.: τούτους τοὺς στίχους ἐάν τις ἀποδράσας φορῇ ἐν σιδηρᾷ λάμνῃ, οὐδέποτε εὑρεθήσεται· ὁμοίως τὴν αὐτὴν λάμναν περίαπτε τῷ μέλλοντι ἀποθνήσκειν καὶ πάντα ἀκούσεται ἃ ἐπερωτᾷς. ἐπειδάν τις καταδεδέσθαι νομίζῃ, ἐπίλεγε τῷ ὕδατι θαλασσίῳ ῥαίνων τε πρὸς ἐπιπομπάς· ἀθλήτης δὲ ἔχων τὴν λεπίδα ἄλειπτος μένει· ὁμοίως δὲ καὶ ἡνίοχος φορῶν τὴν λεπίδα σὺν λίθῳ μαγνῆτι καὶ ἐν δικαστηρίῳ ὡσαύτως. καὶ μονομάχος δὲ ταῦτα φορείτω. καταδίκῳ δὲ σφαγέντι ἀψάμενος εἰπὲ εἰς τὸ οὖς τοὺς στίχους, καὶ ὅσα θέλεις, πάντα σοι ἐρεῖ· σὺ δὲ βαστάξας τὴν λάμναν [εἰς τὴν λάμναν] εἰς τὴν πληγὴν ἕξεις μέγα ἀγαθόν, πρός τε ὑπερέχοντας ἢ δεσπότας ἢ ἑτέρους τινάς· ἔσει γὰρ ἔνδοξος πιστικὸς καὶ δαίμονας καὶ θῆρας ἀποπέμπεις· φοβηθήσεταί σε πᾶς ἐν πολέμῳ· ἄτρωτος ἔσει· αἰτήσας λήψει (λήμψει)· ἐπιχαρὴς ἔσει· ἀλλαχθήσῃ· ἧς δ' ἂν παράψῃ γυναικὸς ἢ ἀνδρός, φιληθήσῃ· ἔνδοξος μακάριος ἔσει· κληρονομίας ἕξεις· εὐτυχήσεις· φάρμακα νικήσεις, καταδέσμους ἀναλύσεις καὶ ἐχθροὺς νικήσεις.[1]) haec omnia efficiunt Homeri (Κ 521, 564, 572) tres versus potentissimi.

Atque etiam precationem Chrysae, Apollinis sacerdotis (Il. Α 37 sq.) in hymnum ad Phoebum receptam in papyris magicis reperimus; cf. papyrum magicam musei Britannici, quae vocatur Anastasi 5. apud Wesselyum l. c. p. 149, v. 30 sq. et p. 34.

Deinde hoc loco commemorandum est Sereni Sammonici remedium, quod contra febrem quartanam commendat, v. 907.

Maeoniae Iliados quartum suppone timenti.

Postea Homeri versus ab oraculis ad futura vaticinanda, quorum exempla affert Marquardt-Wissowa in 'Röm. Alterth.' VI² p. 101 adn. 2, Dio Cass. 78, 8 (= Hom. Il. Β 478 sq.), ib. 78, 40 (= Il. Θ 103 sq.), Sozomen. hist. ecl. I 7 (= Θ 542 sq.) usurpatos esse notum est.

Sed si quaerimus quomodo factum sit, ut hi versus, quos supra attulimus, ex apto ordine erepti ad experimenta magica coniungerentur, difficile est, veram causam cognosci. Verisimillimum mihi quidem videtur Homeri libros fortuito casuque evolvendo ad tempus futurum explorandum aut ad remedium magicum tentandum usurpatos esse, quomodo apud Romanos Vergilianae sortes florebant et a Christianis scriptura sacra adhibebatur; sed certum testimonium de hac re non habeo. Nonnulli tamen versus cum actione magica vel cum morbo sanando quasi cohaerent, veluti verba Homeri, quibus Mercurius Charonis infirmam oculorum aciem sanat (Luc. Char. c. VII) et apud Marc. VIII 58 caecitas et Helios omnia videns

1) cod.: ακουσεαι, επι δεαν, μονα μαχος, αψαμενω, εση, φιληθησει.

e contrario oppositi sunt. Item medicamentum Alex. Tralliani (II p. 581) contra podagram, Homeri versus:

τετρήχει δ᾽ ἀγορή, ὑπὸ δ᾽ ἐϲτοναχίζετο γαῖα

et morbus plane contraria sunt; vix enim qui ex pedibus laborant, impune efficere conentur, ut terra crepet. Eandem ob causam ('e contrario') podagrae doloribus cruciati iubentur pellem cervi, animalis pedibus celerrimi et robustissimi, parti aegrotae adpendere (Lucian. philops. c. VII). Quamquam Lucianus hanc causam in risum vertere videtur, tamen non dubito, quin homunciones talibus causis ad ridiculas res commoti sint.

Etiam aliis poetis, tamquam vatibus sacris, magica vis adtribuebatur, ut Sophocles paeana ad Aesculapium cantando ventos mitigasse traditur; cf. Philostrat. vit. Apoll. VIII 7, 28 ἐνθυμηθεὶϲ μὲν Δημόκριτον ἐλευθερώϲαντα λοιμοῦ Ἀβδηρίταϲ, ἐννοήϲαϲ δὲ Σοφοκλέα τὸν Ἀθηναῖον, ὃϲ λέγεται καὶ ἀνέμουϲ θέλξαι τῆϲ ὥραϲ ὑπερπνεύϲανταϲ, ἀκηκοὼϲ δὲ τὰ Ἐμπεδοκλέουϲ ὃϲ νεφέληϲ ἀνέϲχε φορὰν ἐπ᾽ Ἀκραγαντίνουϲ ῥαγείϲηϲ... cf. ib. III 17, Philostr. iun. Imag. 13 p. 659 ed. Iacobs, Welcker 'Kleine Schriften' III p. 59, Liban. epist. 1139; atque item Thales vel Thaletas pestem paeanibus ad Apollinem sanavit (Plutarch. de musica 32, Paus. I 14, 3, Ael. v. hist. XII 50, Welcker l. c. III p. 39, 40).

Unum locum Luciani, qui praebet incantamentum, afferri necesse est, priusquam ad Vergilium, Romanorum Homerum, accedamus. (Alex. seu pseudomant. c. 36.) Alexander Abpnotichensis, famosissimus ille praestigiator, civitatibus praedixit pestilentias et incendia et terrae motus et homines monuit, ut caverent, promisitque illis, ne quid tale fieret, valide se curaturum esse.

**159.** Ἕνα δέ, pergit Lucianus, τινὰ χρηϲμόν, αὐτόφωνον καὶ αὐτόν, εἰϲ ἅπαντα τὰ ἔθνη ἐν τῷ λοιμῷ διεπέμψατο· ἦν δὲ τὸ ἔποϲ ἕν·

*Φοῖβος ἀκερσεκόμης λοιμοῦ νεφέλην ἀπερύκει*

καὶ τοῦτο ἦν ἰδεῖν τὸ ἔποϲ πανταχοῦ ἐπὶ τῶν πυλώνων γεγραμμένον ὡϲ τοῦ λοιμοῦ ἀλεξιφάρμακον.

Paulo aliter narrat hanc rem Mart. Capell. I 9, 19 dicitque 'caeci poetae Graium versum' (cod. Hugianus 'Graeci poetae') quae verba 'caeci poetae' Eyssenhardt ut glossema non recte delevit. Ille versus sane in Homero non exstat, sed initium Φοῖβοϲ ἀκερϲεκόμηϲ invenitur Il. Y 39 et hymni in Apoll. Del. v. 134; cf. Kopp pal. crit. III § 61 et Preger inscr. graec. metr. s. no. 212.

Apud Romanos Homeri partes in arte superstitiosa suscepit Vergilius, aetate enim imperatorum ad res futuras exquirendas saepissime sortes Vergilianae consulebantur, ut multis locis, quae enumeraverunt Marquardt-Wissowa l. i. p. 101 adn. 4 et p. 102 adn. 6 et Teuffel-Schwabe in historia litt. Romanorum I[5] p. 506 adn 4 scriptores historiae Augustae commemoraverunt; cf. C 'Vergil im Mittelalter' p. 45 sq., 46 adn. 1.

Sed unum tantum versum Vergilii, quo incantamento usi sunt, habeo, Aen. IV 129, XI 1 versum in epitoma Plinii, e codice Sangallensi 751, ut supra p. 502 dictum, adhibitum ad quartanas:

**160.** Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

## XI. Loci scripturae sacrae.

Ut Graeci Homeri, Romani Vergilii versibus ad magiam usi sunt, sic a Iudaeis primum, deinde etiam a Christianis spes salutis in locis scripturae sacrae, praesertim psalmorum posita est; paulatim hic usus ad paganas gentes transiit. Iudaei omnes gentes superstitiosis opinionibus superabant, Moses enim iam (Deuter. 18, 11) cives monuit, ne quis incantatator inter eos inveniretur. Atque apud alios multos populos locis quibusdam librorum sacrorum magi abusi sunt, veluti Indorum omnia fere incantamenta e Vedis fluxerunt; cf. Stenzleri editionem 'Indische Hausregeln. II Pâraskara. Sanskrit und deutsch' in 'Abhandl. für die Kunde des Morgenlandes' Lipsiae 1878. VI no. 4. De Iudaeorum usu psalterii ad depellendos daemones et curandos morbos vide, quaeso, dissertationem Caroli Kayser 'Gebrauch von Psalmen zur Zauberei' in 'Zeitschrift der Deutschen morgenländ. Gesellschaft' 1888 t. 42 p. 456 sq. Biblia apud hariolos atque incantatores totius medii aevi usque ad nostram aetatem summa fuisse auctoritate constat (cf. Wuttke § 199. § 511 e. m. a.). Iudaeos iam Salomon docuit hanc incantandi artem, ut Flavii Iosephi (ant. iud. VIII 45 Niese) verbis utar: ἐπῳδάς τε συνταξάμενος, αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα καὶ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλιπεν . . . καὶ αὕτη μέχρι νῦν παρ' ἡμῖν ἡ θεραπεία πλεῖστον ἰσχύει. Deinde narrat Iosephus exorcismi modum, quem Eleazarus perfecit Vespasiano imperatore praesente.

**161.** In Geoponicorum corpore duobus locis exempla psalmorum ad magiam adhibitorum exstant[1]): VII 14 ex libris Africani: Ἀμήχανον τραπῆναί ποτε τὸν οἶνον, ἐὰν ἐπιγράψῃς ἐν τῷ ἀγγείῳ ἢ ἐν τοῖς πίθοις ταῦτα τὰ θεῖα ῥήματα· *Γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος.* καλῶς δὲ ποιήσεις καὶ εἰς μῆλον οὕτω γράφων, ἐμβάλλων τὸ μῆλον εἰς τὸν οἶνον.

Usque ad nostrum tempus hoc remedium usurpatur in Bavaria; cf. Wuttke l. i. § 669: *Wenn sich der Wein gut halten soll, muss man an die Fässer schreiben: 'Schmecket und sehet' aus Ps. XXXIV 9.*

**162.** Ib. X 87, 8. Πρὸς τὸ μὴ ἀποβάλλειν τὰ δένδρα τὸν καρπόν. Σωτίωνος . . . ὁμοίως κατέχει τὸν καρπόν, ἐὰν γράψῃς καὶ προσδήσῃς εὐφυῶς τῷ δένδρῳ ταῦτα· *καὶ ἔσται ὡς τὸ ξύλον τὸ*

---

1) Cf. E. Oder l. c. Mus. Rhen. XLV p. 221 adn. 2.

*πεφυτευμένον παρὰ τὰς διεξόδους τῶν ὑδάτων, ὃ τὸν καρπὸν αὐτοῦ δώσει ἐν καιρῷ αὐτοῦ, καὶ τὸ φύλλον αὐτοῦ οὐκ ἀποῤῥυήσεται* (Psalm. I 3).

E novo testamento saepe in amuletis Christianis inveniuntur verba Iesu Christi, quae loquebatur in cruce pendens, velut

**163.** CIG. IV 9065 = Kaibel IGSI. 2413, 18; cf. Kaibel epig. Graec. no. 1140: in ecclesia cathedrali Modoetiae amuletum aureum est formae ovalis, in parte antica Christi crucifixi imago adstante a dextra Ioanne, a sinistra Maria, cum his inscriptionibus, supra crucem ICXC. i. e. Ἰηcοῦc Χριcτόc et circum crucem Πρ εις χερας cου | παρτιθμ πμα μου | et η μιτηρ cου | ο υουc cου. Quae sunt verba evangelii Luc. XXIII 46 et Ioan. XIX 26 sq.: πάτερ, εἰc χεῖράc cου παρατίθημι τὸ πνεῦμά μου et ἡ μήτηρ cου, ὁ υἱόc cου. Quae inscriptio saepius invenitur, cf. CIG. IV 9066—9070. In altera parte amuleti Modoetini videmus carmen quod esse Gregorii Nazianzeni (II 1, 55 ed. Maur.) vidit Garruci ('civiltà cattol.' VII p. 197):

Φεῦγ' ἀπ' ἐμῆc κραδίηc, δολομήχανε, φεῦγε τάχιcτα,
  φεῦγ' ἀπ' ἐμῶν μελέων, φεῦγ' ἀπ' ἐμοῦ βιότου,
κλώψ, ὄφι, πῦρ, βελίαρ, κακίη, μόρε, χάcμα, δράκων, θήρ,
  νύξ, λόχε, λύccα, χάοc, βάcκανε, ἀνδροφόνε.
Οὐ καὶ πρωτογόνυcιν ἐμοῖc ἐπὶ λυγὸν ἔηκαc,
  γεύcαc cῆc κακίηc, οὔλιε καὶ θανάτου;
Χριcτὸc ἄναξ κέλεταί cε φυγεῖν ἐc λεῖμα θαλάccηc
  ἠὲ κατὰ cκοπέλων ἠὲ cυῶν ἀγέλην·
ὡc λεγεῶνα πάροιθεν ἀτάcθαλον· ἀλλ' ὑπόεικε κτλ.[1])

Hunc usum locorum sacrorum melius illustrabo nonnullis remediis e Nicolao Myrepso, scriptore medii aevi, de quo egerunt Meyer 'Geschichte der Botanik' II p. 110 et Fabricius bibl. Graec. XIII p. 3 sqq., adlatis.

**164.** XIV 8 = Fabr. XIII p. 6. Lumbricis expellendis recipe rheibarbari, mymecochorti sing. scrup. I terito ut pollinem et irrigato cum aqua sanctarum apparitionum dei. Postea in catinum non inquinatum scribe eiusmodi: 'Dominus illuminatio mea et servator meus, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo? Dum appropinquant adversus me affligentes, ut edant carnes meas, tribulantes me et inimici mei ipsi infirmati sunt et ceciderunt' (i. e. Psalm. XXVII 1, 2).

**165.** Ib. I 405 = Fabr. XIII p. 8. Adiuratio ad omnem sanguinis eruptionem ex utero aut immodicum fluorem mulierum. Scribe

1) v. 3 βελίη Greg., 4. χόλοc pro χάοc et βάcκανοc proposuit Kaibel, 5. ὃc καὶ Greg., 6. τῆc κακίηc Greg.

in charta hunc psalmum primo sabbato, priusquam sol oriatur et liga ad dextrum brachium manus eius 'Miserere mei, deus, secundum magnam misericordiam tuam' (Psalm. LI 3), quamdiu sanguis effluxerit. Deinde et alteram chartam scribe ex Evangelio verbum hoc loquente Iesu: 'Ecce princeps quidam accedens adoravit eum, dicens: 'Filia mea modo defuncta est, sed veni et impone manum tuam super illam et vivet.' Et surgens Iesus secutus est eum et discipuli illius. Et ecce mulier sanguinis profluvio laboraverat duodecim annos. Accedens a tergo tetigit fimbriam vestimenti illius. Dixerat enim intra se: 'si tantum tetigero vestimentum illius, ero salva.' At Iesus conversus ut vidit illam dixit: 'Confide, filia, fides tua salvam te fecit.' Et salva facta fuit mulier a tempore illo' (Matth. IX 18—22). Liga hanc chartulam ad dextrum mulieris femur eadem die, primo aegrotantis sabbato, priusquam sol oriatur et illic permitte, quoad laborans mulier sanetur a morbo.

Hunc usum superstitiosum Christianorum illudit S. Isidorus Pelusiota (ep. IV 196) et monet eos ad pietatem veram: εἰ δὲ καὶ παραδείγματι εὐπαραβλήτῳ καταπρᾶϋναι βούλει τὴν φλεγμονὴν τῆς ψυχῆς, ἐκεῖνο ἐννόει ὅτι τῆς μιαρᾶς ἐκείνης χειρὸς τὸ ἱερὸν ἐκεῖνο ῥαπίσάσης πρόσωπον, φιλοσοφίας κρείττονα καὶ ὑψηλότερα ἐφθέγξατο ῥήματα· *εἰ μὲν κακῶς ἐλάλησα, μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ· εἰ δὲ καλῶς, τί με δέρεις*; (Ioan. XVIII 23.) καὶ ταύτῃ τῇ ἐπῳδῇ μὴ παύσαιο τὴν ψυχὴν ἰώμενος. Cf. ib. V ep. 179.

## XII. Nomina sacra.

Item e iudaica arte magica nata est illa potestas nominum, ut ita dicam, sacrorum, praesertim nominum dei Ἰάω, Σαβαώθ, Ἀδωναΐ, Ἰσραήλ et patriarcharum Ἀβραάμ, Ἰσαάκ, Ἰακώβ, ὧν τοσοῦτον δύναται, ut ait Orig. c. Cels. IV 33, τὰ ὀνόματα συναπτόμενα τῇ τοῦ θεοῦ προσηγορίᾳ, ὡς οὐ μόνον τοὺς ἀπὸ τοῦ ἔθνους (sc. Ἰουδαίων) χρῆσθαι ἐν ταῖς πρὸς Θεὸν εὐχαῖς καὶ ἐν τῷ κατεπᾴδειν δαίμονας τῷ· *ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ καὶ ὁ θεὸς Ἰσαὰκ καὶ ὁ θεὸς Ἰακώβ*, ἀλλὰ γὰρ σχεδὸν καὶ πάντας τοὺς τὰ τῶν ἐπῳδῶν καὶ μαγειῶν πραγματευομένους. Εὑρίσκεται γὰρ ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασι πολλαχοῦ ἡ τοιαύτη τοῦ θεοῦ ἐπίκλησις καὶ παράληψις τοῦ θεοῦ ὀνόματος. Saepe patres ecclesiastici dicebant de hoc usu magico nominum dei Hebraicorum; cf. Orig. c. Cels. I 22, V 45, Irenaeus II 12, Iust. Mart. dial. c. Tryph. p. 182 M, Niceph. Greg. in Schol. ad Synes. libr. de insomniis p. 362; praeterea cf. Kopp crit. pal. III § 116 sq. Permulta exempla sedulo composuit Wessely in sylloge Ἐφέσια γράμματα, quae repetere necessarium non est, vide praeterea Pap. magicam Lugdunensem W. ab Albrechto Dieterich editam in libri 'Abraxas, Studien zur Religionsgeschichte des spätern Altertums' Lipsiae 1891, appendice XVIII 20, XXII 25.

Sed nonnullis aliis locis exstant invocationes nominum Hebraeorum, quae Wessely neglexit:

**166.** Aet. Amid. XV 14 (p. 832 Corn.) Inter liquandum vero et dum agitas, haec verba insusurrato: 'Deus Abraam, deus Isaac, deus Iacob huic pharmaco vires largiatur.'

Cf. Marc. XXI 3. In incantationis corruptae fine: 'in nomine dei Iacob, in nomine dei Sabaoth', vide supra p. 482 s. no. 66.

**167.** Alex. Trall. II p. 585. Ἄλλο πρὸς ποδάγραν καὶ πᾶν ῥεῦμα. Ἱερὰν βοτάνην, ἥτις ἐστὶν ὑοσκύαμος, σελήνης οὔσης ἐν ὑδροχόῳ ἢ ἰχθύσι περιορύξας τὴν βοτάνην, πρὶν ἢ δῦναι τὸν ἥλιον, μὴ ἁψάμενος τῆς ῥίζης, ὀρύξας αὐτοῖς τοῖς δύο δακτύλοις τῆς ἀριστερᾶς χειρός, τῷ ἀντίχειρι καὶ τῷ ἰατρικῷ δακτύλῳ, λέγε· *λέγω σοι, λέγω σοι, ἱερὰ βοτάνη, αὔριον καλῶ σε εἰς τὸν οἶκον τοῦ Φιλεᾶ, ἵνα στήσῃς τὸ ῥεῦμα τῶν ποδῶν καὶ τῶν χειρῶν τοῦδε ἢ τῆσδε· ἀλλ' ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ Σαβαώθ, ὁ θεὸς ὁ στηρίξας τὴν γῆν καὶ στήσας τὴν θάλατταν ῥεόντων ποταμῶν πλεοναζόντων, ὁ ξηράνας τὴν τοῦ Λὼτ γυναῖκα καὶ ποιήσας αὐτὴν ἁλατίνην. λαβὲ τὸ πνεῦμα τῆς μητρός σου γῆς καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς καὶ ξήρανον τὸ ῥεῦμα τῶν ποδῶν ἢ τῶν χειρῶν τοῦδε ἢ τῆσδε.* Καὶ τῇ αὔριον πρὸ [ἡλίου] ἀνατολῆς λαβὼν ὀστέον οἱουδήποτε ζῴου ἀποθανόντος, ὀρύξας αὐτὴν τούτῳ τῷ ὀστέῳ καὶ λαβὼν τὴν ῥίζαν λέγε· *ὁρκίζω σε κατὰ τῶν ἁγίων ὀνομάτων Ἰαὼθ Σαβαὼθ Ἀδωναὶ Ἐλωί.* καὶ λαβὼν αὐτὴν βάλε ἐν τῇ ῥίζῃ μίαν δράκα ἁλῶν λέγων· *ὡς οἱ ἅλες οὗτοι οὐκ αὔξονται, μηδὲ τὸ πάθος τοῦδε ἢ τῆσδε.* καὶ λαβὼν τὸ ἄκρον τῆς ῥίζης περίαπτε τῷ πάσχοντι φυλάττων ἄβροχον, τὸ δὲ λοιπὸν κρέμα ἐπάνω τῆς ἐσχάρας ἡμέρας τξ' (cf. Iob. 28, 25 ad l. 15, 16).

**168.** Orig. c. Cels. IV 34 pars incantationis esse videtur: Ἀλλὰ γὰρ καὶ *ὁ θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ καὶ ὁ θεὸς τῶν Ἑβραίων καὶ ὁ θεὸς ὁ καταποντώσας ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ τὸν Αἰγυπτίων βασιλέα καὶ τοὺς Αἰγυπτίους* πολλάκις ὀνομάζεται παραλαμβανόμενος κατὰ δαιμόνων ἤ τινων πονηρῶν δυνάμεων.

**169.** Ps. Plin. III 15 'recede ab illo Gaio Seio, Solomon te sequitur' supra p. 480 iam allatum est.

**170.** Hippiatr. p. 22, c. 62. Ἄλλο (sc. πρὸς δυσουρίαν). γράφε καὶ περίαπτε θεοῦ ἐπίκλησιν ἐπικαλούμενος . . . *ἐπικαλοῦμαι θεὸν Ἀβραάμ*, supra cf. p. 488.

**171.** Geop. II 42, 5. Περὶ λέοντος βοτάνης, ἣν καὶ ὀροβάγχην καλοῦσι ... τινὲς δὲ ζωγραφοῦσι *Ἰαβὼ* καὶ καταχωννύουσι τὸ ὄστρακον μέσον τῆς ἀρούρας.

Tetragrammaton esse debet Ἰαβὼ, cuius recta forma est Ἰάω cum hoc accentu; cf. de hac re Baudissini disputationem 'Der Ursprung des Gottesnamens Ἰάω. Ein Beitrag zur Geschichte des

Tetragrammaton יהוה' in 'Studien zur semitischen Religionsgeschichte' I p. 181 sq.

**172.** Ib. XX 18. Πτολάτος τοὔνομα, ὀψοποίημα ἐν θαλάσσῃ ὥστε ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐλθεῖν ἐν αὐτῇ τοὺς ἰχθύας. Λάβε λοπάδια γ' τῆς θαλάσσης τὰ περὶ τὰς πέτρας γινόμενα καὶ τούτων ἐκθλίψας τὴν σάρκα ἐπίγραψον αὐτῶν εἰς ὄστρακον τὰ ὑποκείμενα καὶ παραχρῆμα ὄψει τοὺς ἰχθύας ἰόντας ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὥστε θαυμάζειν· ἔστι δὲ τὰ ὀνόματα, *Ἰαὼ Σαβαώθ*. τούτῳ τῷ ὀνόματι οἱ Ἰχθυοφάγοι χρῶνται.

Ex Iudaicis incantamentis certe alia cantio vel inscriptio, quam Geoponica duobus locis tradunt, prodiisse videtur:

**173.** XIII 8, 4 = XIV 4. ὄφεις δὲ περιστερεῶνι οὐχ ὀφλήσουσιν, ἐὰν ἐν ταῖς τέτταρσι γωνίαις ἐπιγράψῃς *Ἀδάμ*· ἐὰν δὲ ἔχῃ θυρίδας καὶ ἐν αὐταῖς.

Haec inscriptio Ἀδάμ optime versibus Sibyllinorum oraculorum illustratur, quod etiam Niclasius Geoponicorum editor iam adnotavit (III 24 sq. ed. Rzach):

αὐτὸς δὴ θεός ἐσθ' ὁ πλάσας τετραγράμματον Ἀδάμ
τὸν πρῶτον πλασθέντα καὶ τοὔνομα πληρώσαντα
ἀντολίην τε δύσιν τε μεσημβρίαν τε καὶ ἄρκτον.

Litteris igitur initialibus vocabuli Ἀδάμ quattuor regiones coelestes designantur:

Ἀνατολή.
Δύσις.
Ἄρκτος.
Μεσημβρία.

Quamquam Christianos numquam artem incantandi exercuisse patres ecclesiastici[1]) confirmant, tamen haec sententia tantum abest ut vera sit, ut ecclesia ipsa artis incantationis precationisque auxilia desiderantibus praestiterit. Sed omnia exempla incantamentorum huiusmodi, quae e religione Christiana pendent, congerere operosum est, cum iis universa media aetas referta sit nec haec nostra ipsa careat. Itaque haec pauca sufficiant:

**174.** Aet. Amid. VIII 50 p. 165 (ed. Ven. 1534). Πρὸς ὀστοῦ κατάποσιν καὶ πρὸς ἀναβολὴν τῶν καταπειρομένων εἰς τὰ παρίσθμια. Προσέχων τῷ πάσχοντι ἀνθρώπῳ ἄντικρυς καθεζομένῳ καὶ ποιήσας αὐτὸν προσέχειν σοι λέγε· *ἄνελθε ὀστοῦν, εἴτε ὀστοῦν ἢ κάρφος ἐστὶν ἢ ἄλλο ὁτιοῦν, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς Λάζαρον ἀπο τάφου ἀνήγαγε*

1) Cf. Orig. c. Cels. I 6. οὐ γὰρ κατακηλήσεσιν ἰσχύειν δοκοῦσιν, ἀλλὰ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ μετὰ τῆς ἀπαγγελίας τῶν περὶ αὐτὸν ἱστοριῶν . . . . . . σαφὲς ὅτι Χριστιανοὶ οὐδεμιᾷ μελέτῃ ἐπῳδῶν χρώμενοι ἐντυγχάνουσιν, ἀλλὰ τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἄλλων λόγων πεπιστευμένων κατὰ τὴν θείαν γραφήν, cf. ib. I 67, VIII 58. Legi de hac re in Conradi Rittershusii 'Sacris lectionibus' Noribergae 1643, sed locus nunc non succurrit.

*καὶ Ἰωνᾶν ἐκ τοῦ κήτους.* Ἄλλο. λέγε κατέχων τὸν λάρυγγα τοῦ πάσχοντος· *Βλάσιος, ὁ μάρτυς ὁ δοῦλος τοῦ θεοῦ, λέγει· ἀνάβηθι ὀστοῦν ἢ κατάβηθι.*

**175.** Marc. XXV 13. Remedium ad nesciam sic: colliges herbam quae dicitur Britannice, ...... sed hanc herbam, terram dum tenes, antequam colligas, praecantare debes sic: 'terram teneo, herbam lego, in nomine Christi, prosit ad quod te colligo.' medicinalibus digitis eam sine ferro praecides aut evelles. (cf. supra p. 498 n. 109.)

**176.** Atque fortasse etiam Iustinus Martyr (dial. c. Tryph. p. 182 M.) antiquam exprimit formulam exorcizandi his verbis: κατὰ γὰρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ τούτου τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως καὶ διὰ Παρθένου γεννηθέντος καὶ παθητοῦ γενομένου ἀνθρώπου καὶ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ὑπὸ τοῦ λαοῦ ὑμῶν καὶ ἀποθανόντος καὶ ἀναστάντος ἐκ νεκρῶν καὶ ἀναβάντος εἰς τὸν οὐρανὸν πᾶν δαιμόνιον ἐξορκιζόμενον νικᾶται καὶ ὑποτάσσεται.

Unum exemplum, cui similia permulta tradita sunt, affert

**177.** Nicolaus Myrepsus I 405 (= Fabr. XIII p. 8). Adiuratio ad profluvium sanguinis narium sonans in hunc modum: 'In nomine patris et filii et sancti spiritus, Amen.' debet autem, qui dicturus est adiurationem hanc, in manu sua retinere lapidem iaspida aut lapidem haematitem et sic dicere: '*εἰς τὴν κρίσιν τὴν θέλουν* (!) *εἰ δὲ οἱ ἀπάβαδοι καὶ οἱ ἀπάβαδες καὶ οἱ τόκον λαμβάνοντες* et crucifigentes Dominum nostrum Iesum Christum, siste sanguinem.' Et apprehendens in capite aegrotantis capillos dic ter. Dein pone iaspidem in nares sanguinem effundentes atque dic: 'Credo in unum patrem omnipotentem' et 'Pater noster qui es in coelis' et 'Ave gratiosa' usque ad finem idque ter. Post haec dic: 'Per nomen magnum dei omnipotentis propheta Zacharias in templo domini a viris iniquis trucidatus est et sanguis eius tamquam lapis concrevit, sic et tuus sanguis concrescat et sistatur per servum dei. Adiuro te per fidem Veronicae sanguinem ne amplius stilles. Stes probe, stes cum timore. Amen'. hoc dic ter.

## XIII. Ἐφέσια γράμματα.

Denique venio ad illa incantamenta, quae vulgo Ἐφέσια γράμματα vocantur; de quibus nunc optime scripsit Carolus Wessely[1]), homo in his rebus versatissimus, et omnia quantum potuit e papyris

1) In progr. Gymn. Franc. Iosephini Vindobonae 1886, cf. Crusii recensionem huius libri in 'Wochenschr. f. class. Philologie' 1888 p. 1092 sq. et Kopp 'Beiträge zur griech. Excerptenlitteratur' p. 65.

magicis, inscriptionibus, gemmis, amuletis diligentissime congessit. Tamen multa omisit, quod illi, cum copia harum rerum maxima sit, opprobrio minime faciendum est. Ἐφέσια γράμματα obscura sunt verba, quae difficulter perspici possunt; Eustath. ad Odyss. τ 246 sq. p. 1864, 12 sq. ἡ πατρὶς Ἔφεσος, ἀφ' ἧς καὶ παροιμία τὸ 'Ἐφέσια γράμματα' ἐπὶ τῶν ἀσαφῆ τινα λαλούντων καὶ δυσπαρακολούθητα. ἐπῳδαὶ γάρ τινες, φασίν, ἐκεῖνα ἦσαν, ἃς καὶ Κροῖσος ἐπὶ τῆς πυρᾶς εἰπὼν ὠφελήθη. καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ δέ φασι Μιλησίου τινὸς καὶ Ἐφεσίου παλαιόντων τὸν Μιλήσιον μὴ δύνασθαι παλαίειν διὰ τὸ τὸν ἕτερον περὶ τῷ ἀστραγάλῳ ἔχειν τὰ Ἐφέσια γράμματα, ὧν γνωσθέντων καὶ λυθέντων τριακοντάκις τὸ ἐφεξῆς πεσεῖν τὸν Ἐφέσιον . . . et infra e Pausaniae lexico rhetorico affert Eustathius: φωναὶ ἦσαν τὰ Ἐφέσια γράμματα, φυσικὸν ἐμπεριέχουσαι νοῦν ἀλεξίκακον. Antiquissimus testis[1]) verborum huiusmodi usus erat Anaxilas, comoediae mediae poeta, cuius fragmentum apud Athenaeum XII p. 548c (cf. Meineke com. graec frag. III p. 345) exstat:

ἐν σκυταρίοις ῥαπτοῖσι φορῶν
Ἐφεσήϊα γράμματα καλά.

Quo in versu Welcker ('Kleine Schriften' III p. 78 adn. 29) γράμματα picturas 'Gemälde' intellegere vult; cui consentire non possum.

Viri docti prius saepe credebant has compositiones verborum miras Gnosticis adtribuendas esse, quibus imprimis ab ecclesiae patribus hoc crimen datum est, sed iam Kopp palaeogr. critic. III § 74, 106 contra hoc opprobrium illam sectam defendere conatus est. Et recte quidem, quamquam saepissime haec monstra verborum apud Gnosticos occurrunt, tamen ab iis inventa non sunt; apud Aegyptios enim haec ὀνόματα ἄσημα iam antiquissimis temporibus summa auctoritate fuisse constat ex Eduardi Meyer libro 'Geschichte des alten Aegyptens' p. 275 sq.; etiam Graeci antiquitus usi sunt et apud Romanos iam Cato exemplum praebet. A multis scriptoribus usus verborum obscuritate involutorum, quae timidas hominum mentes magis excitaverint, commemoratur. Eur. Iph. Taur. 1337.

ἀνωλόλυζε καὶ κατῇδε βάρβαρα
μέλη μαγεύουσα.

Luciani, qui praeter omnes acerbe contra magorum praestigias nugasque invehitur, locos de his secretis verbis aptissimos vertit Wessely l. i. p. 7 sq.: Nec. c. 9 (p. 469) βαρβαρικά τινα καὶ ἄσημα ὀνόματα καὶ πολυσύλλαβα. — Dial. Meretr. IV 5. ἐπῳδήν τινα λέγουσα ἐπιτρόχῳ τῇ γλώσσῃ βαρβαρικὰ καὶ φρικώδη ὀνόματα. — Philops. c. 9 (p. 37). ὄνομα θεσπέσιον ἢ ῥῆσιν βαρβαρικήν. — c. 12 (p. 42).

---

1) Saepe commemorantur Ephesiae litterae: Plut. quaest. symp. VII 5, 4, Diogen. IV 78 et adn. Schneidewini, Hesych. s. v. γράμματα, Clem. Alex. Strom. V 8, Suidas s. v., Menand. fragm. 133; cf. Welcker 'Kleine Schriften' III p. 64 sq., Dieterich. Prol. ad pap. mag. p. 768 sq., Lobeck. Aglaoph. p. 1163, 1330. Kopp. pal. crit. III passim.

ἱερατικά τινα ἐκ βίβλου παλαιᾶς ὀνόματα ἑπτά. — Plut. de superst. 3. ἄτοπα ὀνόματα καὶ ῥήματα βαρβαρικά. — Euseb. praep. ev. V 10 p. 198d. τί δὲ καὶ τὰ ἄσημα βούλεται ὀνόματα καὶ τῶν ἀσήμων τὰ βάρβαρα πρὸ τῶν ἑκάστῳ οἰκείων. — Ov. met. XIV 365 de Pico

*concipit illa preces, et verba venefica dicit;*
*ignotosque deos ignoto carmine adorat.*

Luc. VI 686. *confundit murmura primum*
*dissona et humanae multum discordia linguae.*

Ser. Samm. v. 929. *multaque praeterea verborum monstra silebo.*

Hieronym. vita Hilar. p. 21. *portenta quaedam verborum et portentosas figuras insculptas in aeris Cyprii lamina.*

Ita prima erat condicio, ut Ἐφέσια γράμματα lingua hominibus ignota ficta essent; quo obscuriores erant formidolosae formulae, eo maiorem vim iis inesse putabant homunciones creduli; cf. Plin. XXVIII 20. *neque est facile dictu, externa verba atque ineffabilia abrogent fidem validius an Latina inopinata et quae inridicula videri cogit animus semper aliquid immensum exspectans ac dignum deo movendo, immo vero quod numini imperet.*

Deinde praeceptum erat magicum, ne mutarentur haec secreta nomina neve in aliam linguam traderentur; Origenes (c. Cels. V 45) postquam demonstravit nomina rerum non ab hominibus esse inventa, pergit: ὡς δῆλον τοῖς ἐφιστάνειν δυναμένοις φύσει ἐπῳδῶν οἰκειουμένων, κατὰ τὰς διαφόρους διαλέκτους καὶ τοὺς διαφόρους φθόγγους τῶν ὀνομάτων τοῖς πατράσι τῶν διαλέκτων· περὶ ὧν ἐν τοῖς ἀνωτέρω ἐπ᾽ ὀλίγον διειλήφαμεν, λέγοντες ὅτι καὶ μεταλαμβανόμενα εἰς ἄλλην διάλεκτον τὰ πεφυκότα δύνασθαι ἐν τῇ δεῖνι διαλέκτῳ οὐκέτι ἀνύει τι, ὡς ἤνυσεν ἐν ταῖς οἰκείαις φωναῖς ...... μεταλαμβάνεται γάρ τι, φέρ᾽ εἰπεῖν, εἰς Ἑλλάδα φωνὴν ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ ὀνόματος, καὶ σημαίνεταί τι ἀπὸ τῆς Ἰσαὰκ προσηγορίας καὶ δηλοῦταί τι ἀπὸ τῆς Ἰακὼβ φωνῆς. καὶ ἐὰν μὲν ὁ καλῶν ἢ ὁ ὁρκῶν ὀνομάζῃ θεὸν Ἀβραὰμ καὶ θεὸν Ἰσαὰκ καὶ θεὸν Ἰακώβ, τάδε τινὰ ποιῆσαι ἂν ἤτοι διὰ τούτων φύσιν ἢ καὶ δύναμιν αὐτῶν καὶ δαιμόνων νικωμένων καὶ ὑποταττομένων τῷ λέγοντι ταῦτα· ἐὰν δὲ λέγῃ ὁ θεὸς πατρὸς ἐκλεκτοῦ τῆς ἠχοῦς καὶ ὁ θεὸς τοῦ πτερνιστοῦ. Idem valet de voce Ἰσραὴλ et Σαβαὼθ φωνῆς πολλαχοῦ τῶν ἐπῳδῶν παραλαμβανομένης et Ἀδωναΐ, cf. Iamblich. de myst. caput de nominibus divinis, Niceph. Gregor. in schol. Synesii περὶ ἐνυπνίων p. 362, Boissonade ad Pselli de oper. daem. p. 265. — Accuratissime erant, ut magi postulant, verba magica dicenda, ut actio mystica bene eveniret, cf. Plin. XXVIII 11 *ne quid verborum praetereatur et praeposterum dicatur.* Exemplum quod perbene hanc magorum legem illustrat, praebet historia discipuli arti magicae studentis, narrata a Luciano philops. c. 34 sq. (p. 60—63), sed necessarium non est illam repeti, cum Goethii nostri carmine 'Der Zauberlehrling' satis nota sit.

Haec verba magica plerumque e linguis orientalibus petita sunt et a magis praestigiatoribusque valde praeferebantur, cum antiquissima et daemonibus iucundissima putarentur; cf. Iamblich. de myster. VII 4, Orig. de princ. III 3, Hesych. s. v. Ἐφέσια γράμματα; Orig. c. Cels. I 24. ἄλλα δὲ κατὰ Αἰγυπτίαν φερόμενα φωνήν, ἐπί τινων δαιμόνων τῶν τάδε μόνα δυναμένων καὶ ἄλλα κατὰ τὴν Περσῶν διάλεκτον ἐπὶ ἄλλων δυνάμεων καὶ οὕτω καθ' ἕκαστον τῶν ἐθνῶν εἰς χρείας τινὰς παραλαμβάνεσθαι. — cf. Hippol. IV p. 63 ed. Miller.

Sed si quaerimus num haec verba secreta explicari possint, difficile esse certi quid inveniri et demonstrari respondendum est. In papyris magicis saepe compositiones verborum singulis linguis adscribuntur, veluti ἑλληνιστί, ἑβραϊστί, ἱερατιστί, αἰγυπτιστί cet., cf. Wessely Eph. gram. no. 231, 276—280. Atque ita I. G. Stickel[1]) illa verba pedibus, coronae, cingulo deae Ephesiae insculpta, a quibus omne hoc genus nominum dictum est, ἄσκι κατασκι αιξ τετραν δαμν αμεν ευ σαι σιον (Clem. Alex. strom. V 8 p. 242, Hesych. s. v.) e lingua orientis interpretatus est. Item Kopp in Palaeographiae criticae voll. III et IV permultis locis summa cum sagacitate has formulas e linguis semiticis et barbaris interpretari conatus est, critico tamen interdum non satisfacit, atque ipse loco quodam dicit modeste: 'de quibus hariolatus multa decrevi nihil'.

Tamen spero tempore progrediente nos multa sensu prorsus non carere perspecturos esse, si omnia undique collecta et inter se collata sint. Multae enim litterae saepe repetuntur in papyris crebro usu corrupta[2]); veluti ἑκατογγράμματον ὄνομα τοῦ Τυφῶνος, quod saepe in papyris variatur et depravatur. Nonnulla verba, quae intra multitudinem verborum occultorum occurrunt in papyro Parisina, hebraica esse pro certo puto; sed parum hebraica lingua doctus sum, quam ut interpres horum monstrorum fiam, atque ita aliis explicanda remitto. Unum exemplum ἐπῳδῆς, quod erat medio aevo insigne remedium contra vermes, affero: 'Sisim hemma mulahos usmonim pilagrim velamos einmisspar.' Viri docti nesciebant quid valeant haec ἐφέσια, antequam Loewenfeld (cf. Germ. XXIV 200) nos docuit verba esse delata e cantico canticorum VI 8 שִׁשִּׁים חֵמָּה מְלָכוֹת וּשְׁמֹנִים פִּילַגְשִׁים וַעֲלָמוֹת אֵין מִסְפָּר i. e. ἑξήκοντά εἰσιν αἱ βασιλίδες καὶ ὀγδοήκοντα παλλακαὶ καὶ νεανίδες ἀναρίθμητοι. Permulta enim corrupta esse a librariis verba sensu carentia non attente describentibus constat, atque hoc certe iam apud Graeculos ipsos factum est, cum libri his formidolosis formulis referti in infima populi faece maxime in usu essent. Ita multa creberrimo usu tam detrita sunt in ore ineruditorum, qui sonitum aequum syllabarum secuti novas voces monstrosas effecerunt, ut noster 'Hocus Pocus'

1) In disputatione: de Ephesiis litteris linguae Semitarum vindicandis. Ienae 1860.

2) Dieterich prol. ad pap. mag. p. 769 adn. 10.

ipse, quo termino tales nugas significare solemus, erat incantamentum media aetate usitatissimum et corruptum e verbis sollemnibus scripturae sacrae: 'hoc est corpus meum.'

Deinde apud Romanos fortasse vocularum obscurarum originem ex lingua prisca aut ex vicinarum dialectis gentium, quae artis magicae fama utebantur[1]), petere possumus. Forsitan aliquando lingua Tuscorum adhuc inexplorata in hunc conturbatum acervum lucem mittat. Unum verbum validum tuscae originis nobis servatum est apud Fest. p. 18: Arse verse averte ignem significat, Tuscorum enim lingua arse: averte, verse: ignem constat appellari. Unde Afranius ait: Inscribat aliquis in ostio 'arse verse' (v. 415 Ribbeck). Cf. Placidi glossam (p. 10 D.) 'arse verse proverbium'; de huius inscriptionis stirpe Etrusca scripsit Corssen 'Sprache der Etrusker' I p. 527 sq. et exemplum, quod huc pertinet, affert Orelli n. 1384: ARSESV VRSES SETH LANL TEPHPAL APE TERMNV PISEST ESTV. Etiam Plinius (XXVIII 20) tradit: *parietes incendiorum deprecationibus conscribuntur.* cf. XXVIII 26.

Quae cum ita sint, forsitan Catonis incantamentum luxatis utile ex illa lingua liquebit. *Sunt enim Ephesiis vocibus similia,* ut ait Kopp pal. crit. III § 508, *quae unumquemque sane interpretem vexare et deterrere valeant.*[2]) *Nihilo tamen minus persuasum habeo, illa eo tempore intellecta fuisse quo in usu esse coeperint. Saepius enim accidit ut verba frequenter repetita et ea maxime quibus rustici utantur, tum negligenter pronuntiata, tum mutilata adeo corrumpantur ac depraventur, ut Oedipo iam opus sit, qui ea explanet.* Quam facile incantamenta corrumpi potuerint, docent nonnulla exempla, veluti carmen adversus strigas quod Festus p. 314 M. tradidit, et Marc. XV 89, quod Dieterich 'de hymnis Orphicis' p. 42 emendavit; cf. Schedae philol. p. 131 sq., cum Grimm ['Kleine Schriften' p. 146: *der goldene Toanados, der höllische Tusanados sind mir unbekannt*] et Welcker [l. c. p. 81: *Ein tartarischer Daemon unter zwiefachen mystisch-barbarischen Namen wird angerufen*] locum minime intellegant.

Porro num Grimmii omnes Marcelli formulas e sermone Gallico explanandas esse sententia, cui Pictet prorsus assensus est, acre subtileque examen sustentatura sit, iudicare non possum; Zeuss quidem in grammatica celtica has coniecturas nihili fecit atque neglexit neque quidquam adhuc inveni in Alfredi Holder lexici 'Sprachschatz der Celten' fasciculis quae exstant.

---

1) De Marsis cf. Hirschfeld l. c. p. 24 adn. 4 et p. 45 adn. 2, qui locos collegit Gell. noct. att. XVI 11, Arnob. II 32 p. 66, Verg. Aen. VII 750, Hor. ep. V 76 et schol. ad h. v.; XVII 29, Lucil. XX 5, Ovid. fast. IV 727, med. fac. 39, Sil. Ital. Pun. VIII 497, Plin. XXVIII 19, Horatius iis adnumerat Sabellos quoque (ep. XVII 28) et Paelignos (ib. XVII 60 et schol.).

2) Post Koppium exstitit interpres Bergk (Philol. XXI [1864] p. 585 sq. = 'Kleine Schriften' I p. 556 sq.), cuius explanatio prorsus fere cum Koppiana consentit; cf. Zander in 'Versus italici antiqui' p. 44.

Sed ut multa in his barbaris verbis speramus aliquando explanatum iri, ita cavendum est, ne quis omnia explicari posse putet. Quam facile in his incertis rebus erratur! Hoc enim satis demonstratur iis quae C. Wessely disputavit (Stud. Vindob. VIII p. 176) de lamina aurea, cuius ἄϲημα καὶ πολυϲύλλαβα ὀνόματα viri docti e diversis linguis variis modis explanare frustra desudaverant. Quam proni viri vel eruditissimi ad errorem sint, Huschke exemplum dedit, qui vir gemmam a Koppio editam cum inscriptione Ιαω Cαβαθω Αδωναιων Ελωαιον dialecto Italicae miro modo adscripsit ('Die oskischen und sabellischen Sprachdenkmäler' 1856. p. 268 sq.); sed iam Otto Iahn (in mus. Rhen. X 1856 p. 617 sq.) et Haupt in 'Monatsbericht. d. Berl. Akad.' 1855 p. 70 sq. has ineptias repudiaverunt; cf. Baudissin l. i. p. 191 adn. 2. Permulta sunt inepta quae hariolabantur in abdita hac regione litterarum; veluti Anglus quidam in actis diurnis 'Academy' nr. 518, p. 250 sq. incantamentum utile contra incendia, rabiem caninam, alias noxias res usitatissimum usque in hunc diem παλίνδρομον:

←|→
Sator arepo tenet opera rotas

reliquias esse putat carminis sollemnis, quo prisci Romani in cultu religionis usi sint: O tempora! o mores! Praeceptum enim est ex monachorum cuiusdam ordinis regula:

SAT ORARE POTENter
ET OPERARe RatiO TuA Sit

cf. 'Zeitschrift für Ethnologie' XIX (1887) p. 72 sq.; cf. ib. XII 276, XVI 68, quod superstitiosi ita detriverunt, ut oreretur versus cancrinus vel retrogradus.[1]) — Omitto nugas magnas, quas Francogallus doctissimus M. d'Orcet nomine, quem Héron de Villefosse satis iam irrisit, in 'Revue Britannique' 1880 p. 435 et 442 sq. de interpretanda Abracadabra garrit (cf. 'Bulletin épigraphique de la Gaule' II p. 165 sq.).

Cum mihi propositum sit, ut incantamenta apud medicos, georgicos, hippiatricos, alios congeram, Ephesiae quoque litterae, quae mihi occurrunt, hic sequantur, quo simul ϲυλλογή Wesselyana augeatur.

**178.** Marc. VIII 56. Ad lippitudinem inter principia sedandam in chartam virginem scribe *ουβαικ* et licio, quod in tela fuerit, collo lippientis innecte.

**179.** ib. VIII 57. Incipiens lippitudo mirifice et sine dubitatione depelletur, si in charta virgine scribas et collo dolentis licio suspendas: *φυρφαραν* et hoc praeligamen purus castus facias.

1) De versuum huiusmodi usu magico cf. Kopp 'Beiträge zur griech. Excerptenlitteratur' p. 65, qui multa exempla e papyris magicis congessit; vide etiam Schwartz 'Der Zauber des „rückwärts" Singens und Sprechens' in 'Indogermanischer Volksglaube' p. 257.

**180.** ib. VIII 59. In lamella aurea acu cuprea scribes *ορυω ουρωδη* et dabis vel suspendes ex licio collo gestandum praeligamen ei qui lippiet, quod potenter et diu valebit, si observata castitate die lunae illud facias et ponas.

**181.** ib. 64. Qui crebro lippitudinis vitio laborabit, millefolium herbam radicitus vellat et ex ea circulum faciat, ut per illum adspiciat et dicat ter: 'Excicum acrisos' et totiens ad os sibi circulum illum admoveat et per medium exspuat et herbam rursus plantet (Corn.: excicum acriosos).[1])

**182.** ib. 170 sq. Digitis quinque manus eiusdem, cuius partis oculum sordicula aliqua fuerit ingressa, percurrens et pertractans oculum ter dices: 'tetunc resonco bregan gresso', ter deinde spues terque facies. Item ipso oculo clauso, qui carminatus erit, patentem perfricabis et ter carmen hoc dices et totiens spues: 'in mon dercomarcos axatison'; scito remedium hoc in huiusmodi casibus esse mirificum.

**183.** ib. 190. Varulis, id est hordiolis oculorum, remedium tale facies: Anulos digitis eximes et sinistrae manus digitis tribus oculum circum tenebis et ter despues terque dices: 'rica rica soro.'

**184.** ib. 192. Efficax remedium hordiolis: Novem grana hordei sumes et de singulis varum punges perque singula puncta carmen dices et proiectis novem granis septem alia corripies et similiter de singulis punges et carmen septies dices, abiectis etiam his quinque sumes et idem quinquies facies, idem de tribus granis similiter, idem de uno similiter. Carmen autem hoc dices: *κυρια κυρια κασσαρια σουρωρβι* (Corn.: coυρωφβι).

**185.** ib. 193. Item hoc remedium efficax: . . . . item digito medicinali varum contingens dices ter: 'vigaria gasaria' varumque grano hordei ardenti aut stipula faeni aut palea ures.

**186.** ib. X 55. Carmen ad profluvium sanguinis ex quocumque membro manantis. Locum, ex quo defluit, digito medicinali tanges et vicies septies dices et quotiens volueris repetes, donec fluorem pervincas, 'socnon socnon'[2]); mire prodest.

**187.** ib. 56. Pollicem et medicinalem digitum a fronte usque ad cerebrum et inde usque ad cervicem duces et nonagies novies

---

1) Interpretandum esse proposuit F. Vollmer sic: ἐξ κίρκου μάκαρ cῶc.
2) Quod incantamentum per longum tempus vigebat, invenitur enim in libro 'Venus-Spiegel' ed. von Lindern Argentorati 1743 et apud Casparum a Rejis quaest. 22 p. m. 234, qui praeterea Catonis et Varronis carmina magica commendat; cf. Birlinger in 'Alemannia' VIII p. 284.

dices: 'sirmio sirmio' quod ad aurem eius partis dici oportet, de qua nare sanguis propensius fluit.

**188.** ib. 69. Ad aurem eiusdem partis, de qua per narem sanguis fluit, dici oportet ter novies *σοκσοκαμ συκυμα*; etiam postea similiter dices.

**189.** ib. 70. Scribes in charta virgine et collo suspendes lino rudi ligatum tribus nodis ei, qui profluvio sanguinis laborat: *ψα ψε ψη ψε ψη ψα ψε.*

**190.** ib. XII 24. Carmen ad dentium dolorem mirificum de experimento. Luna decrescente die Martis sive die Iovis haec verba dices septies: 'Argidam margidam sturgidam'[1]) .....

**191.** ib. 24. Carmen ad uvae dolorem, quod ipse sibi qui dolet praecantet et manus supinas a gutture usque ad cerebrum coniunctis digitis ducens dicat: 'crissi crasi concrasi.' Quibus dictis rursum manus a gutture ducat et ter hoc faciat (Grimm: crisi crasi).

**192.** ib. XV 105, 106. Omnia, quae haeserint faucibus, hoc carmen expellet: 'Heilen prosaggeri vome si polla nabuliet onodieni iden eliton.' Hoc ter dices et ad singula exspues. Item fauces, quibus aliquid inhaeserit, confricans dices: 'Xi exucrione xu criglionalsus scrisu miovelor exugri conexu grilau.'

**193.** ib. XXI 8. Adversum cordis pulsum vel dolorem mirum remedium, quod in lamella stagnea scribes: *Καρυανκω Καρυανκων Καρυανκων* et phylacterium de storace subfumigabis et in collo ex licio suspendes; ita proderit, ut stupeas.

**194.** ib. XXII 9. Nimium laudatum iocinerosis remedium ... in lamina stagnea scribe: Ite ΝΕΡΩΝ et desuper nomen eius iocinerosi, cui mederi voles, scribe ...

Ite ΝΕΡΩΝ fortasse emendandum est: 'In te Nero', ut supra p. 479 sq. in carminibus malo vel morbo superstitiosi minantur, cum Neronem a Christianis quasi daemonem habitum esse constet.

**195.** ib. XXVI 43. Qui renium dolore vexabitur, in charta rudi scribat characteres infra scriptos et auro vel cupro includat et circa renes alliget, miro remedio utetur: *καραβραωθ.*[2])

---

1) Hoc incantamentum Woelfflin in Archivio suo I p. 355 hoc modo interpretari conatus est: 'arcedum marcedum sturgedum' (= turgedum), cf. agedum.

2) De quo vide 'schedas philologas' p. 134.

**196.** ib. XXVIII 72, 73. Ad rosum ventris praecantum (!) utilissimum. Manus sinistrae pollicem supra ventrem premes et dices: 'adam bedam alam betur alam botum.' Hoc cum novies dixeris, terram eodem pollice tanges et spues rursumque novies et iterum tertium novies dices et per novenas vices terram continges et exspues. Hoc vero praecantum et homines strofo vel rosu laborantes et iumenta relevabit, si adhibeatur sic. Manus planas super renes pones et dices ter: 'Alabanda Alabandi alambo.' Cum ita dixeris, supinas manus sub ventre eius pones et cum ter dixeris, ad renes planas manus pones et ter praecantato loco rursum sub ventre manus perferes et idem tertio dices.

**197.** ib. XXIX 26. Ad coli dolorem. scribere debes in lamina aurea de grafio aureo infra scriptos characteres luna prima vigensima et laminam ipsam mittere intra tubulum aureum ...... Hi sunt characteres scribendi in aurea lamina:

LΨMΘKIA
LΨMΘKIA
LΨMΘKIA.

**198.** ib. 45. Lacertum viridem, quem Graeci σαῦρον vocant, capies perque eius oculos acum cupream cum licio quam longo volueris traicies perforatisque oculis eum ibidem loci, ubi ceperas, dimittes ac tum filum praecantabis dicens: 'Trebio potnia telapaho.'[1]) Hoc ter dicens filum munditer recondes cumque dolor colici alicuius urguebit, praecinges eum totum supra umbilicum et ter dices carmen supra scriptum.

**199.** ib. XXXII 25. Si quis ab equitando aut ambulando inguen habuerit, scribat in charta *κυστος* et ad femur sibi alliget, cito sanabitur (κύϲτιϲ = vesica an κύϲθοϲ cunnus?).

**200.** Plin. XXVIII 29. M. Servilius Nonianus princeps civitatis non pridem in metu lippitudinis, priusquam ipse eam nominaret aliusve ei praediceret, duabus litteris Graecis PA chartam inscriptam circumligatam lino subnectebat collo.

**201.** Cato de agri cultura c. 160 (p. 106 Keil). Luxum si quod est, hac cantione sanum fiet. Harundinem prende tibi viridem p. IIII aut V longam. Mediam diffinde et duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare: in alio s. f. moetas vaeta daries dardaries asiadarides una petes, usque dum coeant. Motas vaeta daries dardares astataries dissunapiter, usque dum coeant, ferrum insuper iactato. Ubi coierint et altera alteram tetigerint, id

1) Cf. Sched. philol. p. 134.

manu prehende et dextera sinistra praecide. Ad luxum aut ad fracturam alliga, sanum fiet et tamen cotidie cantato in alio s. f. vel luxato. Vel hoc modo huat hauat huat ista pista sista dannabo dannaustra et luxato. Vel hoc modo huat haut haut istasis tarsis ardannabou dannaustra.

De hoc carmine vide Bergkium (Philol. XXI p. 481 sq. = 'Kleine Schriften' I p. 556 sq.), cuius interpretatio plane perversa est.

De hoc incantamento emendando Franciscus Skutsch amicus Vratislaviensis haec mecum benigne communicavit. Si quis locum inspicit, statim cognoscit verba incantamenti eadem fere bis repeti.

p. 106 l. 7/8 moetas vaeta daries dardaries asiadarides una petes, usque dum coeant.

9/10 motas vaeta daries dardares astataries dissunapiter, usque dum coeant.

et infra iterum

p. 107 l. 3/4 vel luxato. vel hoc modo huat hauat huat ista pista sista dannabo dannaustra.

4/5 et luxato. vel hoc modo huat haut haut istasis tarsis ardannabou dannaustra.

Luce clarius est hoc utroque loco variam lectionem, quae primo a lectore quodam in margine adscripta erat, in textum irrepsisse, atque haec sententia ipsis libri verbis nititur 'in alio s(ic) f(ertur)' de quibus Bergk p. 561 hariolatus est.[1] Verisimile est alteram formulae conceptionem 'motas vaeta . . . . . dissunapiter usque dum coeant' priorem esse atque ante hanc postea verba 'in alio sic fertur . . . . usque dum coeant' e margine interpolata esse.

Haec res tam perspicua est, ut alterius incantamenti locum 'huat hauat' . . . eodem modo tractare possimus, quamquam hic difficilius est. Offendit enim (cf. Bergk p. 560 infra) 'vel luxato'; alio loco invenitur 'et luxato'. Primitus fortasse verba in hoc ordine exstabant: 'et tamen cotidie cantato et luxato. Vel hoc modo huat haut' . . . . . Postea haec verba in margine adscripta sunt: 'in alio sic fertur: et luxato. Vel hoc modo' . . . .; 'vel' pro 'et' e sequente 'vel hoc modo' corruptum est. Tamen 'vel hoc modo' plane intellegi non potest; optimum videtur haec quoque verba 'vel hoc modo' interpolationem haberi, quae varia lectio in fine capitis adiuncta erat.

Compositio Catonis verborum, ut Keil nunc praebet, paulatim tribus spatiis orta est; prima verba haec esse videntur: 'Luxum si quod est, hac cantione sanum fiet . . . . ad coxendices. Incipe cantare motas vaeta daries dardares astataries dissunapiter, usque dum coeant,

---

1) Cf. Charis. p. 205, ubi ad Plaut. Bacch. 540—51, qui re vera in cod. Ambrosiano desunt, adnotatur 'in quibusdam non feruntur'; sic legendum est pro 'ferunt'.

ferrum insuper iactato ..... sanum fiet et tamen cotidie cantato et luxato.'

Deinde a lectore aliquo, fortasse a scriptore ipso alia incantandi formula in fine adiecta est: vel hoc modo 'huat haut haut ... dannaustra.' Haec verba oportebat rectius adscribi post 'incipe cantare' aut ante 'usque dum coeant'. Postea (quo tempore scire non possumus) hic codex cum alio exemplo collatus est, et a scriptore[1]) variae lectiones margine adscriptae in textum ipsum receptae sunt.

Ad hunc usum formulas incantamentorum conferendi vide papyros magicos ubi saepe adnotatum est ad formulas magicas, οὕτως εἶχε τὸ ἀντίγραφον Dieterich 'Abraxas' p. 10, 6, cf. Pap. Anast. XLVI mus. Brit. v. 53 ἐν δὲ ἄλλοις ἀντιγράφοις ἐγέγραπτο, cf. Pap. Par. ed. Wessely v. 463, ἄλλως, 500. ἐν ἄλλῳ, 591. οἱ δὲ, 767. οἱ δὲ, 1278. ἄλλοι.

**202.** Ps. Galen. περὶ εὐπορίστων II c. 27, 3 (XIV p. 489 K.). Εἰς φύλλον δάφνης ἐπίγραφε καὶ ὑποτίθει ἐπὶ τὴν κεφαλὴν λεληθότως ὀνομάζων *κόνκοφον βραχερέον.*

ib. III (XIV p. 546 K.). Πρὸς ῥῖγος. Γράψον εἰς μῆλα τρία ἢ πεπώπουλα οὕτως *φησὸν σαὸς δράος δάνονος δανάβιος* καὶ δίδου τρώγειν.

**203.** Alex. Trall. I p. 407. Ἄλλο περίαπτον οὗ πολλὴν ἔσχον πεῖραν (sc. πρὸς ἀμφημέρινον). εἰς φύλλον ἐλαίας μετὰ κοινοῦ μέλανος ἐπίγραψον '*κα*' '*ροι*' '*α*'. λάμβανε δὲ καὶ τὸ φύλλον τῆς ἐλαίας πρὸ ἡλίου ἀνατολῆς καὶ περίαπτε περὶ τὸν τράχηλον.

**204.** ib. II p. 583. Προφυλακτικὸν ποδάγρας. Λαβὼν πέταλον χρυσοῦν σελήνης ληγούσης γράφε ἐν αὐτῷ τὰ ὑποκείμενα καὶ ἐνδήσας εἰς νεῦρα γεράνου, εἶτα ὅμοιον τῷ πετάλῳ σωληνάριον ποιήσας κατάκλεισον καὶ φόρει περὶ τοὺς ἀστραγάλους *μεί θρεύ μόρ φόρ τεύξ ζά ζών θέ λού χρί γέ ζέ ών*[2]) *ὡς στερεοῦται ὁ ἥλιος ἐν τοῖς ὀνόμασι τούτοις καὶ ἀνακαινίζεται καθ' ἑκάστην ἡμέραν, οὕτω στερεώσατε τοῦτο τὸ πλάσμα, καθὼς ἦν τὸ πρὶν ἤδη ἤδη ταχὺ ταχύ. ἰδοὺ γὰρ λέγω τὸ μέγα ὄνομα, ἐν ᾧ ἀναπαυόμενα στερεοῦνται ιάζ αζυφ ζύων θρέγξ βαίν χω ώκ*[3]) *στερεώσατε τὸ πλάσμα τοῦτο καθὼς ἦν τὸ πρῶτον ἤδη ἤδη ταχὺ ταχὺ.*[4])

---

1) Superstitiosi in formulis incantamentorum servandis valde curiosi erant, ut Bergk recte adnotat: 'Auch ist wohl denkbar, dass ein Abschreiber aus eigener Erinnerung die andere Fassung hinzusetzt, denn wie der Aberglaube ein zähes Leben führt, so haben auch solche Segenssprüche sich lange im Volke erhalten.'

2) Hae sunt notae duodecim circuli signorum.

3) Nomina obscura esse VII planetarum Usener mecum communicavit; ceterum βαινχωωκ saepe exstat in papyris, cf. Wesselyi indicem l. i. p. 162 et in gemmis, cf. Kopp palaeogr. crit. III § 274 sq., 506, IV § 719 sq.

4) ἤδη ταχύ crebro, ut celeritas agendi significetur, invenitur in

**205.** Hippiatr. p. 15, c. 17. Φυλακτήριον πρὸς μᾶλιν παρὰ τοῦ φιλοσόφου. *Μύρμηξ ψοφεῖ, πέλωρος κεφαλὴν οὐκ ἔχει· ἔλαφον πιάσας ἀμέλξω Μυσίαν παλαιτάτην· καὶ ἀμαλαβανδα πιούρου ναζήλα ἀμελχανα βατεμανα τεκουπατου ἰαβραξ*, γράψας ἐν χάρτῃ καθαρῷ ἢ κασσιτερίνῳ περίαπτε. cf. supra p. 500 n. 115.

**206.** ib. c. 20. Πρὸς πᾶσαν μᾶλιν. Μὴ ῥήξῃς τὸ κτῆνος τοῦτο *σαρρα, μάρρα, καμέτριξ* λύχνον· τὸ λεγόμενον μελάμπυρον ἀλήσας καὶ καθαρῷ κοσκίνῳ σήσας κοχλιάρια γ′ εἰς ὕδωρ, εἰς σκεῦος χαλκοῦν βαλὼν τῇ ἑξῆς δίδου διὰ ῥινῶν.
(μάλιν cod.)

**207.** ib. c. 21. Ἐν περιπάτῳ ἵππου προκατηρτικότος ἢ πρωτοβόλου ἤτοι ἀβόλου ὀνόματι, τὸν δὲ χρόα τῆς μάλεως ἀρθρῖτις ἀρθριτικὴ οὐ μὴ αὐτοῦ περιγενήσεσθαι *σαρρα μαρρα καμετριξ*, γράφων ἐν χάρτῃ περίαπτε εἰς τὸ κάπιστρον. cf. antea cap. 20.

**208.** ib. p. 16, c. 23. Πρὸς μᾶλιν σπουδαῖον. *Βάρβαρος βαρβαρίζουσα, ζαβάχωρα, βαρβάρων πυρί, πυριτουμόλε σῶζε τὸν φοροῦντα*, γράψας ἐν χάρτῃ περίαπτε.

**209.** ib. c. 24. Ἄλλο γράψας καὶ περίαπτε *μορουατο εὐπρεπέστατε, ῥορου αδα μανευβρεατι καὶ τεμεστανα, μαλχα, μαδαδα πτουγγαμην, χουστι καὶ τιατεμ.*

**210.** ib. c. 25. Ἄλλο. *αμιλι χαμουρουατο σακμαδαν εὐπρεπέστατε δαπνουνη, βαθυαρουεζε μαντεστιν εὐπρεπε, καὶ σεμναλεουθ.*

**211.** ib. c. 26. Ἄλλο. Ὁ *υιου ατιουρουανα καὶ τῶν ευπρεταβενε μαλχα πιουνιβα καὶ αχιματατια.*

**212.** ib. p. 22, c. 62. Ἄλλο. γράφε καὶ περίαπτε θεοῦ ἐπίκλησιν ἐπικαλούμενος *βαρναβαὰθ θ θ καὶ σεχθαβαγγγα· ἐπικαλοῦμαι καὶ θεὸν Ἀβραὰμ μ μ μ λῦσον φλέβας σὺν δυσουρίᾳ καὶ ῥεῦσον ὡς ὁ Νεῖλος ποταμὸς ὑπὸ μηδενὸς κατεχόμενος.*

**213.** ib. p. 69, c. 440. Πρὸς ποδάγραν. Ταῦτα δ′ [= τέσσαρα] ὀνόματα εἰς πέταλον κασσιτέρινον γράψας ἐν γραφείῳ μὴ ἔχοντι τὸ λειοῦν, καὶ ἡμέρᾳ ἡλίου τὸν πόδα δῆσον ὃν πονεῖ καὶ πάλιν μετὰ ἡμέρας λϛ′ ἡμέρᾳ ἡλίου, ἥτις γίνεται λϛ′ ἡμέρα· τὰ δὲ γραφόμενα ταῦτα· *χεντιματεφηκεν τέφρα γλύκαινε.*

---

fine ἐπῳδῶν; cf. Pap. Par. v. v. 1593, 1924, 2037, 2098, Pap. Mimaut v. 85, 123, Pap. Lugd. V 3; cf. CIL. VIII 12508 et 12509 in defixione equorum.

**214.** ib. p. 128, c. 1206. Ἀψύρτου δῶρον ἀγαθόν, σωτήριον, θαυμαστὸν καὶ πρὸς κτήνη ἐνεργόν. *Ιαω, ιαη, ἐπ' ὀνόματος πατρὸς καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ πνεύματος ἁγίου, ιριτερλι εσταθερ, νοχθαι βρασαξ, σαλωλὰμ νακαρζεω μαζα αρεους δαρου χαραὴλ ακλαναθὰλ βαθι ακεθ' θρυθ του μαλαθ πουμαδοιν χθου χθου λιτιοταν μαζαβατης μανερ ὀψακιον, ακλαναθαληλα ἰαω, ἰαη ἐπ' ὀνόματος πατρὸς καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος*, καὶ γράψον αὐτὰ ἐν χαλκῷ γραφείῳ, ἐν λάμνῃ καθαρᾷ κασσιτερίνῃ ἀπὸ βούλλας.

**215.** Geop. II 19, 1. Τί χρὴ ποιεῖν, καὶ τί χρὴ μὴ ποιεῖν, εἰς τὸ εὐφορεῖν τὰ σπέρματα. Σωτίωνος. Ἐπίγραψον ἐν τῷ ἀρότρῳ *φρυήλ* (v. l. Ραφαήλ) καὶ ἐν τῷ νεάζειν καὶ ἐν τῷ σπείρειν τὴν γῆν καὶ εὐθαλήσει ἡ χώρα.

**216.** Boissonade edidit in 'Notices et extraits' XI p. 178 librum 'Traité alimentaire du médicin Hiérophile' (cf. Rambaud 'Empire grec au II$^{e}$ siècle' p. 84. n. 5 et 6), ubi p. 240 exstat e cod. Paris. 2286, p. 61, 2: Περὶ τοῦ γνῶναι γυναῖκα εἴ τε πάρθενός ἐστιν, εἴ τε ἐμοιχεύθη .... Ἄλλο. Βατράχου ζῶντος κόψας τὴν γλῶσσαν τοῦτον ἀπόλυσον· γράψον δὲ εἰς τὴν γλῶσσαν, ἣν ἔκοψας τοῦ βατράχου, οὕτως *χουνέχω δημινοόφ* καὶ οὕτω κοιμωμένης αὐτῆς ἐπίθες τὴν γλῶσσαν εἰς τὸ στῆθος αὐτῆς καὶ πάντα σοι εἴποι ὅσα ἐποίησε.

Infra hoc remedium scriptum, quod iam supra p. 472 sq. afferendum erat: Ἄλλο· Βατράχου ζῶντος γλῶσσαν κόψον καὶ αὐτὸν ἀπόλυσον καὶ ἐν αὐτῇ τῇ γλώσσῃ γράψον *τὸ ὄνομα τῆς γυναικὸς* καὶ κοιμωμένης αὐτῆς ἐπίθες τὴν γλῶσσαν τῷ στήθει αὐτῆς καὶ οὕτως ἐρώτα αὐτήν, καὶ αὐτὴ εἰ διεφθάρη, ἐξείποι σοι τοῦ μοιχοῦ τὸ ὄνομα.

**217.** Fragmentum medicum graecum e codice Lipsiensi no. 175 editum a Bursiano in ind. lect. aest. Ienae 1873 praebet XIV. περὶ τοῦ λῦσαι ἀνδρόγυνον. Εἰς κρίθινον κουλοῦριν γράψον· *κρισον δὲ καλά. βαρὴν ζαρὴν ζαρταρὴν σαρὰ σαρασήν.*

Primam incantamenti vocem Bursianus emendare vult κρύψον aut κλεῖσον, et Crusius proposuit κρῖνον (Philol. IL 1890 p. 543).

**218.** Anecdot. latin. ed. Piechotta § 77. Qui vecturam faciunt. nunc incantata quid possit haec herba; inponam in remediis; cum herbam volueris legere, circumscrib(i)to eam auro herbam et argento et dicito sacra nomina tria 'Iacob Sabaoth raxas'.

(Becturam, auro erbu, cod.; sub 'raxas' latet Abraxas.)

**219.** ib. § 172. Ad devoratum. digitis duobus pollice(m) et medicinali gurgulionem deducens dicis *πορκα* (!) cucnaon, ter dices et ter exspues.

**220.** ib. § 180. Ad profluvium sanguinis vel haemorrhoidas legas et suspendas itacoeu κaπα, tum haec nomina hebraica dices 'manna', latinis 'mia blanam manna cyrfy calcod zama decarsin'.

**221.** ib. § 189. Ad fugitivos.[1]) In charta scribit dominus manu sua sive domina manu sua sinistra nomen fugitivi et de manu dextra scribat haec nomina 'pallachata παλλακατα caπpa' et ea(n)dem charta(m) mittes in mola(m) frumentaria(m) et ibi teratur. Aliud; post ostium scribis: 'irrifa epona nupsit illegy.'

**222.** ib. § 198. Ad orfum equi. scribis in dextra ungue pedis prioris ipsius de sinistra manu (in ungue) nomen cuiuslibet 'yppocalis. sylego. medicalis medis interim'.

**223.** ib. § 199. Ad capitis dolorem. Adonel angeli nomen scribis in charta pura et de licio ligabis in capite . . . item alii.

**224.** ib. § 200. Botamal huius angeli nomen in charta virgine scribes et de licio capite ligabis, emigranii dolorem pausat.

**225.** ib. § 201. Ad oculorum dolorem tomatoma scribes in charta pura, hoc (cod. huc) nomen scribis et nomen ipsius qui dolet oculos, et de licio ligabis in capite et mox sanabitur.

**226.** Pitra e codice Cavensi f. 183, saec. XI qui Damigerontis librum continet, publicavit in Analectis sacris II p. 641 sq. (cf. Codex diplom. Cavensis VII. app. p. 1): Libellus regis Aegyptiorum missus ad Octavianum Augustum. Rex Aegyptiorum Octaviano Augusto salutem . . . . . Bestiolam quadrupedem quam [inter] vos quidam etiam Melen vocant, direximus. Et ideo ne quis maleficus te tuosque nocere possit, neque defectionibus, quod exercitui meo in armis contigit. Quam prehendis, etiam eius unum abstrahis dentem quem magnum habuerit, et cum extraxeris has preces dices: 'Butabar. borthon. ydra. ceramaliis. miton. borboron. ardiso. thaasan. lorden.'[2]) Haec novem dices verba et hunc dentem melis pertundes

1) Ad defixionem precationibus Vestalium perfectam servorum fugitivorum cf. Plin. XXVIII 13 et 19.

2) Totus locus etiam traditus est in codice Laurentiano, qui precationes herbarum continet 73, 16 p. 148 (cf. Bandini catal. III p. 40), sed lectio varia est: 'Butabar. torthon. hydran. cermalis. meton. borboro. nardison. thasaniorden' et in cod. Vindob. 93, fol. 127$^{v}$; cf. Endlicher cat. cod. Vindob. I p. 156; cf. similis locus, quem Oswaldus Zingerle edidit in 'Zeitschrift für Volkskunde' I (1891) p. 139 e codice Wolfsthurnensi XV saec. fol. 125$^{a}$ 'Wer behaft ist mit dem posen veint, so spreche ym ain priester dise wort in daz ore, so meldet er sich, wes man in fragt: Amara Tonta Tyra post hos firabis ficaliri Elypolis starras poly polyque lique linarras

et ex auro in brachio ligabis tibi et tuis adhaerentibus, sic ut corpus tangat. Et neque sidus neque caniculae tempus nocebit neque pestilentia neque occursus malus nocere poterit. aut si quid fuerit, statim dentem rumpis (in) partem eius dextram, iisdem verbis dices. Et quemcumque aegrum unxeris, statim febrem detrahit, dumtaxat in eo qui vitalis est. Nam prolongat tempus, si maior morbus vel causa fuerit, celerius recedit. — Cervellum eius, eadem verba dicens decoques in oleo ferventi .... Qui comitiali morbo (cod. verbo) vexatur ... et quod inveteratum fuerit ... cum fervetur, has preces dices:

'Horner. larci, habech ....
Cisius. elaoro hodier laciaon
Virtus coeli libera pellet ....'

**227.** Idem Pitra primum edidit Harpocrationis libellum de herbis ... e Palatino cod. 224 in Analectis sacris V p. 293.

Λέγεται δὲ οὕτως ἐντεῦθεν ὁ ἱερὸς λόγος, καθάπερ εἶχε καὶ ἡ Κοιραννίς[1]· *Μάκαρ θεῶν ἄνασσα, βοτρυοφόρε μήτηρ, ἅπασι βεβαία εὐεργεῖς ἐν βροτοῖς ἡ πρώτη ἵνα ἠεκ εὐοη, νοῶν, φρενῶν τήρησον εὐωχίαν, ἠὐ ἐνη ἴεος ὀλύμπου οὖσα.* Ταῦτα εἶπον εἰς τὸ κέραμον, ὃ πίνουσι πάντες.

(cod. μάκαρα ἐκ, εἴπην, εἰπὼν ποίησον proposuit Jahnke meus; οἳ πίνουσι.)

**228.** ib. Ἡ δὲ τοῦ Κοιράννου περὶ εὐφρασίας στήλη εἶχεν οὕτως. *Θειοτάτη βοτάνη βοτρυήφορε, ἄμπελος λευκή, μήτηρ τῶν βοτανῶν, εὔδιε κυμβαλήφορε, γῆς ἐν φυτοῖς ἡ πρώτη, ἐνι εὐγρίνων φρενῶν μου, τήρησόν μου νοὸς φρένας, εὔθυμος οὖσα εἰς θειοτάτην ὑγιείαν· ηωω αεκ ιαω ιαωε.* Ταῦτα εἰπὼν ποίησον κατὰ τὰ προειρημένα ...

(Pitra proposuit εὐκρινῶν.)

**229.** ib. p. 298. Εἰς δὲ τὸν βατραχίτην γλύψον ἱέρακα καὶ παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ βάτραχον .... καὶ δὸς φορεῖν. ἔστησεν οὖν πᾶσαν αἱμορραγίαν. Καὶ ὑπὸ τὸν λίθον γράψον ταῦτα· *μαλλενεκαά*, ἐν ἄλλῳ *μαλλαλά*. Εἰς τὸν ἱερακίτην λίθον γλύψον ἱέρακα καὶ ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ βάτραχον καὶ ὑπὸ τοῦ λίθου γράψας ταῦτα *μαλαία* καὶ εἰς μαγνήτην τὴν αὐτὴν γλυφήν καὶ ὑπὸ τοῦ λίθου *μαλινά* καὶ φόρει.

Nonnulla verba occulta attulit Hagen in catalogo codicum Bernensium, quae fortasse medio demum aevo orta sunt.

---

buccabor vel barton vel Titram celi massis Metumbor o priczoni Iordan Ciriacus Valentinus'.

1) i. e. liber mysticus, de quo scripsit Meyer in 'Geschichte der Botanik' II p. 348 sq. 'Kyrani Kyranides'; cf. Haupt Philolog. L (1889) p. 371 sq.

**230.** cod. Bern. 250, 6, saec. X, fol. $21^b$ (= Hagen catal. p. 286) exstant aliquot praecepta medica; extremo loco habetur haec formula mysticis verbis conscripta: Hur titer her hercinnar her amputor her creptor. her hersi herso͂n. cumgraphium est genera stella babilonis almi almon. nomen ill. genebet dalbam †.

**231.** cod. Bern. 334, 19, saec. X—XII (Hagen catal. p. 332; cf. Hageni Scholia Bernensia ad Vergilii Bucolica et Georgica in Fleckeiseni annal. supplemento IV p. 692 sq.) fol. $352^a$ scripta sunt nonnulla verba mystica post subscriptionem. Expl. epistola ad hebreos vers. DCCCC scripta a Roma. Croh. nheri. nihater nuflin nihater. subnil nihater rãuuenait. nihater arta. daf (claf?). hagal. artat. netri. artat. netri. artat. netri (sic ter ut iuris iurandi fascinandive formulam esse suspiceris). pomabo suptuņamor ifiamor lofiens fonui. pater vulnus commendo arcus. fargus seclens (sedens?) corna. nedens. lux detofinet (d. suprascriptum) si na bit.'

Sanguinis cohibendi formulam subesse verisimile fit illis 'pater vulnus commendo' additis.

**232.** cod. Bern. 538. saec. XI—XII (Hagen catal. p. 449 et eiusdem auctoris 'Scholia Bernensia' etc. l. i. p. 692 not. 5) fol. $36^b$: Formula mystica. arfula astarum flibar. interinas ostigatir mica pinaeles eeleleon cerboneus. eripen. venit ille qui solet adducere alios dueluos (sic) ab oriente vel ab occidente a meridie vel ab septentrione etc. (quae quidem ultima verba haud videntur ad priora pertinere).

**233.** Huc etiam spectat Nicolaus Myrepsus XXI 1 (= Fabricii bibl. Graeca XIII p. 6): Lunaticos emendat, datum cum spuma tauri fabae Aegyptiae magnitudine. Ab ortu lunae usque ad eius defectum daemonio vexatos liberat datum ex mulsa cum vino simul pondere drachm. IIII. dicat autem τρὶς ἅγιον, id est ter sanctum, is qui bibit, lunaque deficiente detur; sic enim demonstratum est. Suffitum prodest ad omnia muliebria mala. Potum idem efficit; suffitur autem maxime et bibitur ad recursus uteri et erroneas inclinationes uterique insaniam. Conficitur etiam ex eo pessum (pessus Fabr.) cum melle et vino et nardo vera, laevigatum ad summum. Qui conficit hoc thymiama, proferat has vocales α ε η ι ο υ ω.[1]) Ignoretur autem is qui conficit

1) De usu septem vocalium multa scripserunt I. M. Gesner de dei laude per septem vocales in comment. soc. reg. scient. Gottingen. I 1751. Kopp l. i. III § 254 sq., cf. CIG. II 2895 e theatro Milesiaco et Boeckh a. h. l.; cf. W. Baudissin 'Studien zur semit. Religionsgeschichte' I p. 198 et 243 sq., Dieterich 'Abraxas' p. 22 adn. 6, Ruelle 'Le chant de sept voyelles grecques d'après Demetrius et les papyrus de Leyde' in 'Revue des études grecques' tom. II (1889) p. 38 sq. et p. 393 sq.

una cum iis qui serviunt. Conficitur autem Martio mense sole existente in primo arietis gradu et omnia quae dicta sunt, succedent. Si vero quis ipsum gestet in collo aut suspendat, neque morbum neque incantationem ullam timebit. In quocumque autem loco aut domo decumbet, nihil in hanc incantatio aut venenum poterit.

Sed maximus numerus ἐφεσίων γραμμάτων exstat in gemmis amuletisque, quorum sat multa collegit Wessely l. i.; copia eorum in dies augetur (cf. Zuretti in ephemeride italica 'Rivista di filologia' XX [1891] fasc. 1—3). Itaque pauca afferre liceat, quae apud Wesselyum non sunt:

**234.** In Eph. epigr. VIII no. 238 invenimus laminam auream cum hac inscriptione: Ad oc[u]loru[m] dolo|rem aut angeli (i. e. angorem aut anginam) | ligavi patri et | matri meo (?) togi | nama marem | nam fallum | tolof (g? s?) famon | exaton ma|le margan |. cf. Fiorelli 'Notizie degli scavi' 1887. p. 157.

**235.** Espérandieu 'Épigraphie de Poitou' p. 335 sq. edidit inscriptionem laminae, quam celticae originis esse[1]) putat:

BIS GONTAVRION ANALABIS BIS GONTAVRION
CE ANALABIS BIS GONTAVRIOS CATALASES
VIM CANIMA VIMS PATERNAM ASTA
MAD (aut ST) ARSSET VT A TE IVSTINA QVEM
PEPERIT SARRA.

Quid verba in initio significent, nescio, sed finem inscriptionis esse verba latina, quorum sensus perspicuus non est, luce est clarius, ad verba 'Iustina, quem peperit Sarra' cf. supra p. 474 adnot. 1.

**236.** Altera est inscriptio clavi ahenei, de qua multa viri docti egerunt, Henzen 'ann. di corr. archeol.' Romae 1846. XVIII p. 214 et tab. H, Lersch 'bull. dell. inst.' 1845 p. 184, Welcker ib. 1846 p. 98, Iahn 'Böser Blick' p. 107 sq., Hofmann 'Sitzungsberichte der Bayer. Akademie' 1870. I p. 522 sq. Iahnii lectionem insero: Domna Artemix Kr ne aureas solve catenas tuas! en canes tuos agrestes silvaticos sive albos sive quemque colores aperta buca. cave ne appetant rura. RE⚡ ANBΛϤVIBENIT BA⚡ VIı REA≨ ANDKORAST RASΛ. in cortem nostram non intrent, pecora nostra non tangant, et asinos nostros non molestent! ter dico, ter incanto in signo dei et signo Solomonis et signo domna Artemix.

**237.** Alius clavus[2]) magicus praebet has litteras (cf. Friederich-

1) Alia celtica, fortasse magica inscriptio invenitur in CIL. XII 5367.
2) Usus clavorum in arte magica valde florebat, cf. Preller 'Röm.

Wolters 'Berlins antike Kunstwerke' II p. 291): ΦΡυΘЄΥΙ ΟΟΩϹΩα | FFΗΣ ~~888~~ ƵΗΕБꟼΠ (a dextro ad sinistrum) ΑΝΩΧΒΙΒΙΘΥΠЄΘΩΝ | ϹΚЄΠΤΙ ΕΙΤΙ ΡΗ≢ | ΤΟΥ ϹΟΛΩΜΟΝΕ.

Alia amuleta cum verbis obscuris inveniuntur apud Kaibel IGSI. 2413, 15, 16, 17.

**238.** Froehner: 'Kritische Analekten' in Philol. suppl. V p. 42 sq. amuletum edidit sic inscriptum *ὑστέρα (μ)ελάνη μ(ελ)ανομένη, ὡς ὄφις εἱλύεσαι καὶ ὡς λέων βρυχᾶσαι καὶ ὡς ἀρνίον κοιμοῦ.*

**239.** E. de Muralt: 'Chronographie byzantine 1855. Additions' p. 749 edidit tabulam auream in vico Tschernigoff inventam in qua insculptum est Medusae caput cum decem serpentibus et haec inscriptio: *Ὑστέρα μέλανι μελαινομένη μέλανι ὡς ὄφις εἰλύησε καὶ ὡς δράκων συρίζησε καὶ ὡς λέων βρύχησε καὶ ὡς ἀρνίον κύμηνε.* — In parte antica haec verba exstant: *Θεότοκε, βοήθει τόν σε ἔχοντα, ἀμήν*; cf. Schlumberger in 'Revue des études grecques' V p. 73.

**240.** Similis illi est tabula ahenea, quae in oppido Maestricht inventa a Froehnero ibidem p. 45 edita adiurationem contra grandinem[1]) continet: *θως ου δερκυω· αλωη νουμιξων θει ληος· τρέψον ἐκ τούτου τοῦ χωρίου πᾶσαν χάλαζαν καὶ πᾶσαν νιφάλαν καὶ ὅσα βλάπτει χώραν. Κέλευε θεὸς ωα μουθα καὶ σὺ συνέργει Αβρασαξ ιαη Ιαω.*

Denique sequantur incantamenta pauca, quorum verba quidem intelleguntur, sed non cognoscitur, quomodo cohaereant carmen et morbus.

**241.** Hipp. p. 37, c. 202. Ἄλλο (sc. πρὸς θλάσμα ἐν ποδί) γράψον ὑπὸ τὴν στεφάνην τοῦ ζῴου μετὰ μαχαιρίου *ἰλώψ, ἰχθὺς, νῆσος.*

Pro ἰλώψ, quod intellegi non potest, Miller l. c. proposuit ἔλοψ vel ἔλλοψ, qui est piscis celeber in maribus Pamphyliae.

**242.** Cassius Felix ed. Rose p. 168, c. 69. Ad scorpionis ictum. scribis in charta rudi hoc nomen Α⟨ϹΠ⟩ΙϹ et postquam scripseris, plicabis.

## XIV. Numeri in incantamentis adhibiti.

Nonnulla dicenda sunt de ratione mystica, quae floret apud magos in usu numerorum. Iam Pythagoreos philosophos numeris summam vim tribuisse inter omnes constat; quam superstitiosam opinionem postea Gnostici valde coluerunt; cf. Ps.-Tertull. adv. omnes haer. XV. *non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus novam*

Myth.' I p. 260, II p. 425, 2, Otto Iahn 'Böser Blick' p. 107—109, Marquardt-Wissowa 'Röm. Altertüm.' VI² p. 106 sq., R. Suchier 'Die Nägel in Römergräbern' Philol. XXXIII p. 335 sq., R. Unger 'Der römische Jahresnagel' Philol. XXXII p. 531 sq. etc.

1) Cf. Plin. XVII 267, XXVIII 29, Sen. nat. quaest. IV 6, Clem. Alex. Strom. VI 3, 31 p. 268 Sylb., Paus. II 34, 4.

*haeresin ex Graecorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse inveniri, immo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis litteris esse dispositam. Propter hanc enim causam Christum dixisse 'Ego sum A et Ω'. Denique Iesum Christum descendisse, id est columbam in Iesum venisse, quae graeco nomine cum περιστερά pronuntietur habere secum numerum DCCCI. Percurrunt isti ΩΨΧΦΥΤ totum usque ad ΒΑ*[1]) *et computant ogdoadas et decadas. Ita afferre illorum omnes vanitates et ineptum sit et otiosum.* Hic lusus mysticus pendet ex illa numerorum ratione, qua ωα et περιστερα (= 801) aeque ac pariter valent.

In similibus commentis ridiculis consistunt nomina magica αβρασαξ[2]) = 365; αμην = 99[3]), ἡ ἁγία τριάς Θ (= Θεός) = 643.[4]) In bibliis idque apud Ioannem (apoc. XIII 18) videmus eundem mysticum sensum: ὧδε ἡ σοφία ἐστίν. ὁ ἔχων τὸν νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου· ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστίν. καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ χξς' (ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἕξ), cf. ib. XV 2 et Lucian. Alex. seu pseudom. XI. Sed nusquam tam crebro mystici numeri occurrunt, quam in papyris magicis, veluti νθ' = 59. Pap. Anast. XLVI v. 362 ed. Wessely, μθ' = 49, ib. v. 153, τὸ ρ' γρ = γράφε (100), ib. v. 453 γρ' λζ' = 37, Pap. Par. 1988. γρ' κδ' = 24, ib. 1322. τὰ τξε' ὀνόματα = 365 (αβρασαξ) Pap. Lugd. V ed. Dieterich IV 32; cf. multa alia in Wesselyano indice p. 14.

Multa verba de hac superstitione numerorum facere possum, sed ne longus sim, remitto eos qui plura doceri volunt ad Kopp pal. crit. III § 225—275, Kehr quaest. mag. p. 15 adn. 1 sq., Usener 'Religionsgeschichtl. Untersuchungen' p. 24, Diels 'Sibyllin. Blätter' p. 41 sq., cf. etiam Buresch 'Klaros' p. 122 sq., Kaegi in 'Philologische Abhandlungen, H. Schweizer-Sidler dargebracht', p. 50 sq.

Hic eos tantum numeros qui ad sanandos morbos adhibebantur, breviter afferam:

**243.** Plin. XXVIII 24. Attalus affirmat, scorpione visa si quis dicat 'duo' cohiberi nec vibrare ictus. et quoniam scorpio admonuit, in Africa nemo destinat aliquid nisi praefatus Africam, in ceteris vero gentibus deos ante obtestatus ut velint.

**244.** Hipp. p. 148, c. 1214. Πρὸς στρόφον λέγε εἰς τὸ οὖς γ' ῆ ζ'.

**245.** Alex. Trall. II p. 319. Φυσικὰ πρὸς τοὺς λύζοντας. Κρῆτας κρατεῖν ψῆφον ταῖς χερσὶν γϙϙγ' (= 3193) καὶ προσφέρειν τοῖς μυκτῆρσι.

---

1) Huc certe spectant permulta alphabetaria, quae fascinandi causa et in sepulcris et alibi inveniuntur; cf. Dieterich 'Abraxas' p. 165 adn. 2 et Kaibel IGSI. 2420, 2, Berthelot 'Alchimistes grecs. Introduction' p. 156.

2) Cf. Dieterich 'Abraxas' p. 46 sq.

3) Cf. Wessely 'Die Zahl neunundneunzig' in 'Mittheil. aus der Sammlung der Papyrus Erzherzog Rainer' I p. 113 sq.

4) Cf. Krall in 'Mittheil. aus Pap. Erzherzog Rainer' I p. 127.

## De forma incantamentorum metrica.

Restat, ut incantamenta num legibus metricis aut rhythmicis composita sint quaeram. 'Carmen' vocabulum, ut saepe incantatio appellatur, sermonem numeris adstrictum significare videtur. Sed de hac re olim iam magna orta est dissensio inter viros doctos. Fridericus Ritschl[1]) enim negavit formulam quamlibet conceptis verbis compositam carmen dictum esse, sed orationem numeris vinctam. Illi repugnavit Duentzer, qui carmina etiam parva enuntiata pedestris orationis fuisse dicit.[2]) Sed uterque modum transire videtur et rectum in medio est. Tamen hoc Duentzero concedendum est, carmen a Romanis non solum sermonem metrica lege conceptum, sed etiam formulam prorsam sollemnibus verbis compositam appellatum esse. 'Carmen' vocabulo posterioribus temporibus, praesertim Marcellus saepissime ad incantamentum significandum utitur, ubi difficillimum est, metrici aliquid cognoscere, cf. VIII 172 m. a. atque etiam ἐφέσια γράμματα carmina vocantur, velut X 34, ib. 55, XII 24 etc. Atque ita a voce 'carmen' derivatum est 'carminari', quod nihil significat nisi praecantare; cf. Marc. VIII 171, XIV 26, XV 102, XXVIII 74.

In hac parte popularis, ut ita dicam, artis poeticae metrum et rhythmum interdum observari posse nemo negabit. Sane Iacobi Grimm verbis assentieris ('Deutsche Mythologie' $II^4$ p. 102): *Noch stärkere Macht, als im Kraut und Stein, liegt in dem Wort und bei allen Völkern gehen aus ihm Fluch oder Segen hervor. Es sind aber gebundene, feierlich gefasste Worte (verba concepta), wenn sie wirken sollen, erforderlich, darum hängt alle Kraft der Rede, deren sich Priester, Arzt, Zauberer bedienen, mit den Formen der Poesie zusammen;* cf. etiam Wuttke l. c. § 224: *Darin* (sc. in den Zauberformeln) *liegt eine ächte und ursprüngliche Volkspoesie, ein Parallelismus der Gedanken. Was der Reim im äussern Klange ausdrücken will, das drückt sich hier in kernhafter Wirklichkeit aus: die innere Gleichstellung und Verbindung des äusserlich Unterschiedenen.* — Tamen difficillimum est, certis et artificiosis legibus compositas formulas inveniri. Maxime amat populus carmina aequalibus membris praedita, quae praeterea adnominatione vel assonantia vincta sunt; velut Pelagonii carmen ad equos hordiatos (c. XIX).

si tortionatus, si hordiatus,
si lassatus, si calcatus,
si vermigeratus, si vulneratus,
si marmoratus, si roboratus. (cod.: lassus.)

---

1) In Mus. Rhen. IX p. 7 = Opusc. IV p. 290 et in Poesis saturniae spicil. I p. 4 = Opusc. IV p. 298 sq., Duentzer 'Das Wort carmen als Spruch, Formel, Lehre', 'Zeitschrift f. d. Gymn.-Wesen' XI p. 1 sq.

2) De hac controversia, cuius postea alii, Ribbeck, Corssen participes erant, cf. R. Peter de Romanorum precationum carminibus in Comm. philol. in honorem Aug. Reifferscheid p. 67 sq.

Eandem aequabilitatem et constantiam assonantem membrorum videmus in Marcello XV 11[1]):

si hodie nata, si ante nata,
si hodie creata, si ante creata,
hanc pestem, hanc pestilentiam,
hunc dolorem, hunc tumorem, hunc ruborem,
has toles, has tosillas,
hanc strumam, hanc strumellam,
hanc religionem,
evoco educo excanto,
de istis membris, medullis.

et Marc. XV 101.

albula glandula,
nec doleas, nec noceas,
nec paniculas facias,
sed liquescas tamquam salis in aqua.

'albula' propter assonantiam ex 'alba' vocabulo corruptum esse videtur; cf. infra p. 557 incantamentum e cod. St. Galli 951 sumptum:

ne doleat, ne noceat, sed redeat.

'Ομοιοτέλευτα in his carminibus rara non sunt: Marc. XXI 3 et XXVIII 16.

pastores te invenerunt,
sine manibus collegerunt,
sine foco coxerunt,
sine dentibus comederunt;

hic, ut saepe in his rebus ἀσύνδετα animadverti possunt, cf. Marc. XX 78:

lupus ibat per viam, per semitam,
cruda vorabat, liquida bibebat.

ib. VIII 199.

ne lacrimus exeat,
ne extillet, ne noceat;

cf. infra p. 559 in cod. St. Galli 951.

tres sorores ambulabant,
una volvebat,
alia cernebat,
tertia solvebat.

Sed rimi non desunt; apud Vergilium ecl. VIII 79, ubi Voss iam recte sensit, allitterationem studio quaesitam esse, cum pertineat ad consuetudinem in arte magica observatam, legitur:

limus ut hic durescit et haec ut cera liquescit;

simillimus est Marcelli locus (VIII 191):

nec huic morbo caput crescat aut si creverit tabescat,

---

1) De rhythmo huius aliarumque cantionum vide Buechelerum mus. Rhen. XXXIV p. 343 sq., Zander Versus ital. ant. p. 46 sq.

quae verba quaternarium efficiunt, ut Buecheler[1]) recte dicit; cf. infra p. 551 'ut amplius non crescas, sed arescas' et 'ut non crescas, sed evanescas'.

Varro de r. r. I 2, 27.

terra pestem teneto,
salus hic maneto.

Porro allitterationis usum deprehendis in altero Varronis (l. l. VI 21); atque plerumque haec incantamenta pervetusta oratione rhythmica quaternis ictibus composita sunt.

novum vetus vinum bibo,
novo veteri morbo medeor.

Marc. XXXVI 70.

venenum veneno vincitur,
saliva ieiuna vinci non potest.

Marc. XXV 13.

terram teneo, herbam lego,
prosit (in nomine Christi) ad quod te colligo.

supra p. 498.

stulta femina super fontem sedebat,
stultum infantem in sinu tenebat,
siccant montes, siccant valles,
siccant venae, vel cui de sanguine sunt plenae.

Marc. XXI 3.

tres virgines in medio mari mensam
marmoream positam habebant,
duae torquebant, una retorquebat.
Quomodo hoc numquam factumst
sic numquam Gaia Seia
sciat corci dolorem.

cf. XXVIII 74.

tres virgines circumibant,
duae alligabant,
una revolvebat.

XXXVI 19.

summum caelum,
ima terra,
medium medicamentum.

Numeri non obscuri opem ferunt incantamentum Marcelli (XXI 2, cf. supra p. 482) restituenti:

| | |
|---|---|
| Ante cave corcu | leva libidinem, |
| nec mergito cantorem, | discede a nonnita. |
| ut hos, ut hos, ut hos. | in nomine dei Iacob, |
| praeparabo tibi vinum: | in nomine dei Sabaoth. |

1) In mus. Rhen. XXXIV p. 343 sq., ubi multa eiusmodi congessit.

In omnibus his incantamentis memoratu dignum est quod semper, praeterquam quod consulto membra enuntiatorum eundem exitum, quasi rimum habent, ἀσυνδέτως coniuncta sunt.

Atque etiam in 'Ephesiis litteris' interdum videmus verborum formas, quae certe propter assonantiam fictae aut usu ita detritae sunt; cf. supra p. 528 et Dieterich prol. ad pap. mag. p. 769; non pauca exempla huius modi exstant apud Marcellum: VIII 192 κυρια κυρια κασσαρια, ib. 193 'vigaria gasaria', quod antecedenti κασσαρια simile est; XII 24 'argidam margidam sturgidam'; XIV 24 'crisi crasi concrasi'; XXVIII 72 'adam bedam alam betur alam botum'; ib. 73 'alabanda alabandi alambo'; cf. XV 101 'albula glandula'; Cato c. 160 'daries dardaries astataries' et ib. 'ista pista sista'. Hanc assonantiam appellavit Bergk in 'Kleine Schriften' I p. 556 'Flexionsreim', cui Woelfflin in 'Archiv f. lat. Lexicographie' I p. 355 non consentit.

Multa alia exstant exempla carminum, quae congruentiam membrorum aequalitatemque prae se ferunt, quamquam numeri rhythmici corrupti sunt. Marc. VIII 199.

Quomodo tu non vides,
sic et tuus sucus gustatus nulli noceat;
sed ob rem, propter quam adiecta es,
proficias bene curatione, precor.

ib. XII 46. Hirundo tibi dico:

quomodo hoc in rostro iterum non erit,
sic mihi dentes non doleant toto anno.

Cf. carmen cod. Vindob. 93, supra p. 488 n. 91.

Herbula Proserpinacia,
Orci regis filia,
quomodo clausisti mulae partum,
sic claudas undam sanguinis.

Atque Marc. XXIX 35 Zander l. l. p. CCXIII adn. sic metitur:

fuge fúge lepúscule ét tecum | aufér colí dolórem.

Sed pergamus; nonnullos etiam versus numeris adstrictos incantamenta praebent. Saturnium, cuius natura adhuc semper obscura est, iam pridem cognoverunt viri docti esse Varronis verba (r. r. I 2, 27)

térra péstem tenéto ‖ sálus híc manéto

et verba 'in meis pedibus' glossema reiecerunt; Baehrens (fragm. poet. rom. p. 34 adn.) putat verba antecedentia sic in versum saturnium redigenda esse:

egó tuí meminí ‖ medére ⟨tú⟩ meis pédibus.

Cf. Ribbeck in Ann. philol. LXXVII 205 sq., L. Müller de versu saturnio p. 119, Korsch de versu saturnio, Mosquae 1869.

Sed etiam versus heroici non desunt in hac ima arte poetica; ne repetam Homeri et Vergili versus, quos supra p. 514 sq. attuli, Plin. XXVII 100 hexametrum praebet:

φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος

Cuius versus finis commonefacit nos aliorum frustulorum versus hexametri similium, quae supra p. 480 sq. exstant: κρείττων cε διώκει, et Περcεύc cε διώκει, θεῖόν cε διώκει; dactyli sunt Aet. Amid. (II 19) verba (cf. supra p. 506)

χαῖρε θάλαcc' Ἀράβων.

Riess l. c. p. 380 proposuit versus lyricos hos:

χαῖρε θάλαcc' Ἀράβων φέρουcα πημάτων ἄκοc,
εὕρημα τηκόλιθον.

Sed integer est hexameter mea quidem sententia in Hippiatr. p. 100, c. 692, cf. supra p. 499 ubi traditum est: δέcποτα ἥλιε θερμὲ καὶ ψυχρὲ τοcοῦτον με ἀπηλλοτρίωcαc; sed καὶ ψυχρὲ cum sensu careat, eiciendum et ita restituendus est versus:

ἥλιε δέcποτα θερμέ, τοcοῦτό μ' ἀπηλλοτρίωcαc;

Atque Lucianus (Alex. c. 36) affert ἀλεξιφάρμακον ἑξάμετρον:

Φοῖβοc ἀκερcεκόμηc λοιμοῦ νεφέλην ἀπερύκει.

Cf. supra p. 483, Pseudo-Plin. III 15.

Cras hostes mihi venturi sunt: suscipite illos!

Incantatio vitis, quae traditur apud Harpocrationem de herbis, vide supra p. 539, ex hexametris composita esse videtur:

Θειοτάτη βοτάνη, βοτρυηφόροc ἄμπελοc λευκή,
μήτηρ τῶν βοτανῶν κτλ.

Pentametri magici inveniuntur interdum, ut Kaibel IGSI. 2413, 6 = Epigr. graec. 1139:

χαῖρε πατὴρ κόcμου, χαῖρε τρίμορφε θεόc.

In Hippiatr. p. 123, c. 980 (cf. supra p. 507) puto me pentametrum invenisse; sed carmen hoc est: οὐκ ἔλαθεc, λύκοc εἶ καὶ δάκῃ τὸν τόπον τοῦτον τρίτον καὶ καθάπαξ δακέτω; verba καὶ δάκῃ τὸν τόπον τοῦτον τρίτον postea interpolata esse videntur, atque sic

οὐκ ἔλαθεc, λύκοc εἶ καὶ καθάπαξ δακέτω.

fortasse incantatio restituenda est.

Nuper edidit Froehner in mus. Rhen. XLVII (1892) p. 307 hanc inscriptionem in amuleto, lapide haematite, insculptam:

Εἷc θεὸc λέγει.
Ὃc ἀγαθῇ ψυχῇ cκηνὴν θυμέληc ἐπάτηcε,
τούτῳ καὶ Νέμεcιc καὶ Χάριτεc cυνέπονται.
εἰ δέ τιc ὢν ἀμαθὴc ψυχὴν ἔcχε[ν] περίεργον,
τοῦτον ἀπηρνήcαντο θεοὶ καὶ Παφίηc cύνοδοc.
Τοίνυν ἑταῖρε τῶν τροπῶν γίνου φίλοc.

Versibus iambicis haec incantamenta composita sunt:

Laert. Diog. VI 50 ὁ τοῦ Διὸc παῖc Καλλίνικοc Ἡρακλῆc
ἐνθάδε κατοικεῖ· μηδὲν εἰcίτω κακόν.

Marc. XV 89 εἶδον τριμόρφου χρύϲεον τὸ ϲάνδαλον,
καὶ ταρταρούχου χάλκεον τὸ ϲάνδαλον.
ϲῶϲόν με ϲεμνὲ νερτέρων ὑπέρτατε.[1])

Marc. XXIX 23 θεὸϲ κελεύει μὴ κύειν κόλον πόνουϲ.

Latini quoque senarii iambici nobis occurrunt, quos primus Buecheler mus. Rhen. XXXIV p. 344 cognovit: Marc. XVIII 30

numquam égo te videam pér parietem répere

et 'carmen idioticum' apud Marc. XXXVI 70

fuge fúge podagra et ómnis nervorúm dolor
de pédibus meis et ómnibus membrís meis.

Atque in Marc. (VIII 191) carmine: 'nec mula parit nec lapis lanam fert, nec huic morbo caput crescat aut si creverit tabescat' mutatis verbis Buecheler l. c. hunc construxit senarium:

nec múla peperit néc lapis lanám tulit,

et quaternarius est trochaicus altera pars carminis:

néc huic morbo caput crescat aút si creverit tabescat.

Praeferenda est haec scansio Buecheleri, ut mihi videtur, illi carmini, quod restituit Zander l. l. p. 47:

néc parít múla,
néc lapís fert lánam,
nec húic morbó capŭt créscat,
si créverít tabéscat.

Recte tamen in Marc. XXV 13 incantatione verba, quae ad Christianam aetatem spectant, 'in nomine Christi' eiecisse videtur Zander. l. i.

térram téneo, herbám legó,
prósit ăd quód te cólligó.

Sed fortasse etiam 'ad' melius eicitur, cum ad sensum nihil praebeat et syllaba brevis rhythmum turbet.

Carmen artificiossimum iam Vogelmann enucleavit (Philol. XXV p. 695 'Ein Lied bei Plinius') e Plin. XXVII 131. (cf. Zander l. i. p. 42.)

reséda, mórbis reséda,
scísne scísne quís hic púllus | égerít radíces?
néc căpŭt néc pedés habeát.

1) De hymnis magicis, ex quibus hoc Marcelli carmen fluxit, quae saepe etiam ἐπῳδαὶ usurpabantur, nihil dico, cum hic eorum locus non sit; permulta huiusmodi iam e papyris magicis enucleata sunt: Wessely 'Griechische Zauberpapyri' in 'Denkschriften der Akademie' Vindobonae 1888, p. 30 sq., Parthey in editione sua papyrorum Berolinensium, Dilthey mus. Rhen. XXVII p. 375 sq., Herwerden Mnemos. XVI p. 316 sq., Dieterich prol. ad pap. mag. p. 776, cf. 'Abraxas' Index p. 215, Abel Orphica p. 54 sq., cf. Crusius in 'Wochenschrift f. class. Philol.' 1888 p. 1095 sq. Sed numerus hymnorum augeri potest, cf. Niceph. Gregor. Schol. ad Synes. p. 402, qui hymnus etiam apud Euseb. praep. ev. V 8 exstat, et Niceph. ib. p. 360 = Hippolyt. adv. haer. IV 32, ib. IV 35 etc.

De aliis rhythmicis incantamentis novi quid dicere non possum, cum Zander l. i. praef. p. CCV sq. et p. 23 sq. multa collegerit et tractarit, quamquam non semper probo Zanderi scansiones. Diversis numerorum generibus carmina concepta sunt neque saepe facile est, certum metrum a numerosa oratione discernere. Alia carmina, quae numeros reddunt, Marc. VIII 191 et XXV 13 iam supra attuli.

Denique trochaicum tetrametrum incantatum profert Alex. Trall. II p. 377, quem iam Meineke ita restituit:

φεῦγε φεῦγ' ἰοῦ χολή, ὁ κορυδαλ(λ)όc cε ζητεῖ.

Iambicum metrum redolet carmen in Hipp. p. 15, c. 17.

μύρμηξ ψοφεῖ· πέλωρος κεφαλὴν οὐκ ἔχει,

etsi elegantem versum haec verba non efficiunt.

---

# Appendix.

## Anecdota incantamenta nonnulla.

Useneri egregia erga me benevolentia ad notitiam codicis Bonnensis 218 (66a) perveni, qui nonnullas superstitiosas res, quae huc respiciunt, continet.

Qui codex membr. saec. XI, fol. 87, ex monasterio beatae Mariae virginis de lacu ('Maria Laach') ortus, nomine apto 'Rapiarius' ('Kladde') inscripto res maxime varias praebet, quas e descriptione Klettii (cf. catalog. p. 52) vix suspiceris. Primus eo usus est Hoffmann de Fallersleben et edidit ex eo glossas linguae germanicae priscae ('Altdeutsche Glossen' Breslau 1826 praef. § 57 et p. 20 sq.). Plurima medicinalia et superstitiosa, quae edo, a manu altera postea marginibus et ultimis paginis adscripta sunt.

fol. 40$^r$ infra in margine exstat:

Ad difficultatem pariendi probatum. Elisabet peperit praecursorem, sancta Maria genuit salvatorem. sive masculus sis sive femina, veni foras, salvator revocat te. Omnes sancti dei intercedant pro ista femina. Quod scriptum supra genua tribus digitis ligas. Quod si hoc tam cito non proderit, tunc in alio membranulo scribas: 'Lazare, veni foras, salvator revocat te' et supra pectus feminae mitte.[1])

---

1) Haec incantatio ad partum eliciendum saepissime invenitur in codicibus medii aevi, cf. cod. Monac. germ. 54, fol. 106 edita a Schoenbachio in 'Zeitschr. f. deutsch. Alterth.' XXIV 70; cf. ib. p. 81 de cod. Bruxellensi, Birlinger in 'Germania' XXIV 74, Ieitteles ib. p. 311, 'Academy' no. 639 p. 78, no. 642 p. 122, Rockinger 'Quellen und Erörterungen zur bayer. und deutsch. Geschichte' VII p. 320 e cod. lat. Mon. no. 100, fol. 80, Zingerle 'Zeitschrift des Vereins f. Volkskunde' I (1890) p. 177.

fol. 41[v]. Contra malum malannum: Cum minimo digito circumdare locum debes ubi apparebit his verbis:

'Ich bimuniun dih, suam (cod. suaz) pi gode iouh pi Christe'

tunc fac crucem per medium et dic:

'daz tû niewedar ni gituo noh tolc noh tôt houpit.

Item adiuro te per patrem et filium et spiritum sanctum, ut amplius non crescas, sed arescas.'[1])

fol. 49[v]. O lĩpeo. ansa. amur. hus. theus. hus. Mon. Liberatius Geratius A ⁊ ω̃ Riscas. Rubries. Riscas melones sis famulo dĩ pax et defensio ab om̃i incursione diaboli n̄c ⁊ ĩ ppetuũ felicit. Contra sagittam diaboli. Allãniã sit pallãmiã sic callãmia insiti ꝑ corpore isto. Per ista tria nomina ꝑ patrem et filium ⁊ sp̃m sc̃m. Adiuro te satanas et vos malignos sp̃s ꝑ patrẽ et filium et spiritum sanctum. Ut ñ habeatis potestatem nocere hunc famulum d̄i ñ dormiendo neque vigilando nec in membris nec in omnib; locis suis AGIOC III[b] vicib; sc̃s d̃s sc̃s fortis sc̃s ⁊ inmortalis miserere famulo d̄i. Alleluia AMEN.[2])




1) Hoc germanicum carmen primus Wackernagel edidit (in 'Wessobrunner Gebet' Berolini 1827 p. 67 sq.; cf. Müllenhoff-Scherer 'Denkmäler' p. 11 et p. 282), qui finem adiurationis 'ut amplius non crescas, sed arescas' cum Marc. VIII 191 'nec huic morbo caput crescat aut si creverit tabescat' comparavit; cf. simile carmen contra malum malannum, quod Wackernagel in 'Altdeutsche Predigten' p. 254 e codice Turicensi C. 58/215 publicavit: 'Ad frasin. Sputo circumlinito minimo digito et dic: Adiuro te, mala malanna, per patrem et filium et spiritum sanctum, ut non crescas, sed evanescas. in nomine patris et filii et spiritus sancti. K. X. K. (= Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison) Pater noster ter et pater noster'.

2) 'Contra sagittam diaboli' exstat idem fere carmen in codice Monacensi lat. no. 100, saec. XII, editum a Rockinger in 'Quellen und Erörterungen zur bayerischen und deutschen Geschichte' VII p. 319: Kyrie eleyson. Christe eleyson. Kyrie eleyson. Alamamiam. alamiam. palamiam. sit in sitim per omne corpus tuum. Per ista tria nomina patris et filii et spiritus sancti. Gardia. Gardiana. gardentia. Domine nescia suffonia. quia necesse est per istud malum malannum. quia dominus papa apostolicus ad imperatorem transmisit, ut omnis homo super se portaret. agios. agios. agios. sanctus. sanctus. sanctus. alleluia. alleluia. alleluia. crux Christi. crux Christi. crux Christi. ó. ỏ. ỏ. domine, qui fecisti primum hominem Adam. ó. ỏ. ỏ. domine si hic assit nata una cyppa. ó. ỏ. ỏ. domine tu illam sicca. N. Del indena. dulta mila velena. Sanctus Christophorus. Sanctus Abraham. Si dum sinaclium inclina. clina. clina. sancta Saturnina. agyos. agyos. agyos. sanctus. sanctus. sanctus. dominus deus omnipotens. qui erat. et qui est. et qui venturus est. Adiuro te venenum per patrem et filium et spiritum sanctum, ut non noceas famulo dei N., sed ab illo recedas. — Idem exstat in codice

fol. 71ᵛ. Ad steketbon coniuratio. uxa. axa. pompa. terra. non hac nigra. non puputare. Pater noster ter dices. Ad pustellam quae stechetho vocatur. Periuro te pustella per caelum et terram et panem et salem et per aquam de mare et per sacrificium de altare ut non habeas potestatem, super hunc famulum dei N̄. stare sine voluntate dei. Pater noster qui es in caelis libera eum a pustella hac. Et tunc cantet 'pater noster' per totum et tribus vicibus sic coniuret aut in breve scribat et super se portet.

fol. 81ᵛ. Dicta Aristotelis, *quae flebotomorum incisiones in singulis mensibus describunt.*

fol. 82ʳ. De epistula Hippocratis (cod. Ypocratis) de signis mortalibus aegrotorum.

fol. 82ᵛ. Ad dysiaticum. In nomine domini accipe plumbum et fac inde crucem parvulam et scribe in ea ante totam 'Ecce crucem dei'; in fine 'Pax tibi att'. et liga super infirmum in collo eius. Et sint custodes, qui custodiant eum, ut non dormiat ullo modo tribus noctibus et tribus meridiebus, quia si hoc fecerit, potest fieri, ut inimicus dei crucem illi auferat. In alia hora dormiat. Et fac benedictam aquam et sparge super infirmum et in domum et de ipsa aqua bibat tres noctes et tres meridies et sic deo adiuvante recuperabitur infirmus ......

fol. 83ʳ. *Inter alia invenitur hoc:* Ad febres. Morionis manum unam collige cum oratione dominica, tere cum aqua frigida, bibe, probatum est.

fol. 83ʳ. Humanum genus ignorat quantam vim virtutis vultur[1]) in se habeat quantamque hominibus medelam praestet. Ea hora quando eum aliquis comprehendit, habeat pro gladio cannam acutam, qua eum occidat solusque sit qui eum occiderit et antequam eum decollet, dicat ei: 'Angelus adone[2]) Abraham, propter vos sermo impletur.' Et dum eum aperueris, melius facies, si iterum verba praedicta dixeris. Linguam eius si in dextrum subgularem miseris et cum eo ambulaveris, adorabunt te omnes inimici tui. Cor eius si in leonis aut lupi pelle ligaveris, omnes a te daemones effu-

---

Vindob. theol. 259 (cf. Grimm D. M. II⁴ 1032). 'Contra sagittam diaboli. palamiasit. palamiasit. calamia insiti per omne corpus meum. per ista tria nomina per patrem et filium et spiritum sanctum. aius aius aius sanctus sanctus sanctus. in dei nomine cardia cardiani de necessu (? recessu Grimm) propter illum malannum quod domnus papa ad imperatorem transmisit, quod omnis homo super se portare debet. Amen. tribus vicibus.' cf. cod. Mon. lat. 6342 fol. 168ᵛ; cf. Rockinger l. c. p. 318 n. 23 et 'Anzeiger des germ. Museums' 1871, p. 303 et 'Zeitschrift f. d. Altertum' XXI 210.

1) Vulturis hae virtutes compilatae sunt e Plinio XXIX 77, 112, XXX 110, 130 etc.

2) Cf. incantamentum in Anecdoto latino Piechottae cap. 199, supra p. 538 n. 223, sub 'adone' latet Ἀδωναΐ quod saepissime in papyris magicis invenitur, cf. p. 523 n. 167.

gabis. Et si in latrones incideris, ipsi te ut deum adorabunt. Pennae eius in multis proveniunt, maxime ad mulierem, quae se partu liberare non poterit; nam si earum aliquam mulieri in sinistro pede ligaveris, velocissime liberabitur. Cumque liberata fuerit, ipsam pennam celerius solve, ne intranea (sc. viscera) sequantur. Quodsi domum illorum, qui taediantur, suffumigaveris, omnia mala fugient ab ea. Pedes eius et ungulae in domo tua coeant, ibi maleficia nulla iactari permittent. Quodsi piis facta fuerint, virtutem non habebunt. Adipem eius si fricas cum oleo hyrino (?, myrrhino *coni. Iahnke*) et cera, nesciam et nervos sanat. Et si quodlibet iumentum inde unxeris, quod vendere velis, ea die ipsum pecium (v. Ducange) habebis. Pedes eius, cui pedes dolent, dextrum ad sinistrum et sinistrum ad dextrum si ligaveris, continuo sanabitur. Os eius capitis si super tuum ligaveris et ibi posueris, sanabitur. Testam capitis eius combustam tere et da infirmo bibere, sanabitur. Sinistrum oculum sale conditum liga ad quamlibet partem corporis in negotium eunti, lucrum erit certissimum et valebit in adversis ......

fol. 84 r. Ut mures non comedant annonam in horreo. In vigilia Sancti Iohannis post occasum solis vade ubi verbena est et gira (cf. Ducange s. v.) eam cum cultello in circuitu ter (t͠re *cod.*, terrae *proposuit Iahnke*) et dic ter 'in nomine patris et filii et spiritus sancti'. Cum dixeris 'in nomine domini' mitte cultellum subtus radices eius in terram et permitte sic et cultellum et herbam per totam noctem. Lucescente die valde mane veni et abstrahe cultellum et fode eam cum ipso cultello et dic orationem dominicam; sed cum (cum s., cod.) 'libera nos a malo' dixeris, abstrahe et pone eam super altare, ubi missae celebrentur VIIII; post hoc recipe et custodi usque tempore (!) messis, dum annonam posueris in horreum, in prima garba mitte particulam de illa herba et pone hanc et ceteras, non ultro gustabunt mures et si aliquam partem habueris super te, per totum annum non timeas a malo neque a maleficio aliquo.

fol. 84 v. Contra morbum regium. Optima et certa ratio est, quia ego iam desperatae salutis plurimos curavi. Si ⟨de⟩ rafani suco in asso balneo bibis et in qualicunque potu mane ieiunus parum urinae tuae bibis et de rafani suco et de urina aequali mensura; sine dubio deo auxiliante multum prodest. Item accipe aquam de tribus fontibus in nomine sanctae trinitatis et fac hominem illum balneari quam calidissime possit. — Ut scias mulier quid sit paritura. Apium viride nescienti in capite pone, si primum aliquid nominaverit ⟨masculum⟩, masculum habet; si autem feminam, feminam portat. Si paene nullum nominaverit, incertum est. Item guttam lactis ipsius mulier in aqua pensili exprimat; si nataverit, puella erit, si merserit, masculus erit. (Quando sit paritura *cod., corr. R. Iahnke et Fr. Skutsch;* masculum *adiecerunt Fr. Skutsch et Fr. Vollmer.*)

fol. 85 r. Eraclea. Si quis in via tutus ambulare voluerit, latrones timere non curet, quia fugat eos et pro unius viatoris persona

multae personae videntur insidiantibus. Precatio. Adiuro te per virtutes omnes quae in te sunt et per illum, qui tibi dedit multas virtutes, ut non mihi deneges de omnibus virtutibus ullam, ubicumque te portavero. Antequam maturescat flos eius, tollas eam ante solis ortum plenilunio dextra manu sine ferro laevaque absconsa. — Part⟨h⟩enicon, Caristellum, Bubastes, Artemisia. Si quis item facit in ambulando et in manu portaverit, non sentit laborem itineris, fugat daemonia, prohibet maleficia, venena discutit, avertit oculum malum. Cum radice et semine tolle ante lucem solis; pone in domum, ut intrans (it̃ ram cod.) tangat. Herbam proserpinam, centenodia, quando vis ad profluvium mulieris dare, lege illam herbam die Iovis luna decrescente et dic: 'Herbula proserpinatia, Horci regis filia; adiuro te per tuas virtutes, ut quomodo clausisti partum mulae, claudas undas sanguinis huius'.[1]) fac potionem et da ei bibere.

fol. 86r. Contra caducum morbum. Tolle illum aut illam, qui hanc infirmitatem patitur, in festivitate Sancti Stephani protomartyris et ducat illum quidam laicus ad fluentem aquam et vertens eum ad orientem dimergat (!) tertio dicens: 'In nomine patris et filii et spiritus sancti' et eductus de aqua non se vestiat prioribus vestimentis, sed aliis; et si possibilitas est illi, det pauperibus; sin autem, vel calciamenta tribuat. Ipsa vestimenta non induat, nisi lota sint et sic eat ad ecclesiam portans candelam suae longitudinis et cantetur illi cursus totus a parato presbytero et iacta benedicta aqua illum totum aspergat et praeterea illi missam decantet et eucharistia communicet et postea per VIIII dies quidquid manducet et bibat cum exorcisato sale et benedicta aqua decoquatur et misceatur et saepe per VIIII dies cursum et missam et eucharistia habeat et in ultima venere cum habet missam de die, decantetur illi missa de sancta cruce et imponentur VI candelae super altare feriis inscriptae excepto dominico die et finita missa accipiat eam quae primitus ad manum venerit et promittat sanctae cruci illum diem se absque redemptione semper usque ad extremum ieiunare de carne et pinguedine. Haec sunt verba sancti Sigismundi (super altare ferus *cod., em. Vollmer*).

fol. 86v. Sic curandi sunt, qui per maleficium cereae imaginis depravati sunt. In die dominico diluculo pergat ad ecclesiam laneus et discalceatus et habeat tredecim presbyteros paratos et prosternat se in conspectu domini et postulet veniam. Tunc accedat unus presbyterorum illorum et tangat illum et dicat: 'In nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni crucifixi, adolescens, tibi dico, surge.' Tunc surgat et det ipso (!) presbytero tres denarios in honorem sanctae trinitatis et aliis XII unicuique unum et postulet cantare unumquemque eorum missam pentecostes spiritus domini et

---

1) Idem habet cod. Vindob. 93 fol. 35v; cf. Haupt in 'Sitzungsberichte der Akademie' Vindobonae 1872, 71 vol. p. 528, cf. supra p. 488.

tunc ponderet se pane, vino, cervissa, argento, quantum sit, grano et det eleemosyna et eligat unum de ipsis clericis, ut sibi cantet ipsam missam spiritus domini unum annum dominicis diebus et ipse accipiat sacrum corpus domini. In quarta feria (cod. frã) ieiunet propter vigiliam ascensionis domini non aliter nisi ut abstineat se a carne aut de caseo aut ab ovis aut a pisce aut a vino aut a medone et in sabbato similiter propter vigiliam sanctae resurrectionis domini.

fol. 86v—87v *sequitur pars e Ps.-Apuleii libro de virtutibus herbarum magnis cum lacunis* c. 14—48.

Item singulari comitate Usener incantamentum mecum communicavit, quod e codice Scaligerano lat. 28, saec. IX, fol. 1v exscripsit:

Dum venirem de oriente, vidi caballum morientem, Adiuro te, caballus, per patrem et filium et spiritum sanctum et per dominum omnipotentem, infusaras de tuo corpore vertant in tuos pedes et omnes infusairas exeant per tuo corpore (!). Veruna veruna unde veruna; mare sub aqua non te condem(p)net. qui me sanum fecit, ille mihi praecipit: 'tolle grabatum tuum et ambula in pace.' Pater noster.

Ultima verba ex evangelio (Ioh. V 8, 9, Marc. II 9) sumpta sunt.

In codice Engelbergensi 45, saec. XII, fol. 157 inter alia leguntur haec incantamenta, quae Benedictus Gottwald pater bibliothecarius benigne mihi descripsit:

I. Contra fluxum sanguinis. † Caro † cruce † fac restringere ysmahelite. famule tue N. Amen. † In nomine patris † et filii et s. † protege, domine, famulam tuam N. ab hoc malo et ab omni infirmitate corporis et anime. † contra hoc signum nullum stet periculum. † † †. A. B. G. H. O. Q. V. 8. 2. f f f.

II. Benedictio ante febres. N. pater. N. filius. N. spiritus sanctus. † ob leo. ? ? N. aries. N. virtus †.

III. Ante vermes. † bon † pen † na † ason † ad dentes. In eremo in monte Celion ibi sederunt VII fratres dormientes † Marcius † Marcellinus † Serapion † Alexander † Vitalis † Philippus † Dyonisius †, per istos VII fratres dormientes coniuro vos vermes, ut recedatis et hominem istum non ledatis.

Permulta superstitiosa medicamenta praebet codex St. Galli 751, saec. IX inedita, de quo Valentinus Rose Herm. VIII p. 48 sq. egit et nonnulla p. 54 iam edidit. In illo codice pp. 183—292 exstat libellus, qui vocatur 'Medicina Plinii' multis cum interpolationibus; de hac re vide Rosei verba; e magno locorum insertorum numero haec incantamenta exscripsi:

c. I = p. 184. Ad capitis dolorem. adscribes in papyro ferarum nomina et ad caput ligabis: 'lea, leo, taurus, tigris, ursus,

pantera, pardus'; dum ligaveris in silentio, dicis ipsa nomina. (*cf. Marc. XXXII 18. nominabis singulas anus viduas et singulas feras.*)

Ps. Plin. I 1, p. 11 R. = p. 185, l. 16. Item capiti. herba quae statuae in capite nascitur collecta luna crescente alicuius vestis panno et lino rufo illigata apposita capitis confestim dolorem sedat et nomen hoc in charta scribes ΖΩΑⱣ.

ib. = p. 186, l. 1. Ad vertiginem capitis radicem de rubo capiti alligabis. Ne caput aestuet ⟨h⟩omini, puleii folia in anulo sub gemma inclusa aut insuper aurem portato, hoc facito ne gravedinem perfricationis sentiat. Item puer virgo ubi mincxerit, lutum tribus digitis su⟨m⟩is. frontem tibi linis. Ad capitis dolorem etiam si febricitat folia hederae numero VIIII cum aceto et oleo decoque trita et fronti inline. Adversus eterocrania ⟨h⟩alitum manu dextra cludes, super cerebrum explanabis et hoc dicis 'hoerbae et hooras erbaebo abraxat boetitae'. Ad capitis dolorem incantabis, exues terram et ter manu pectus tanges et hoc dices: 'caput dolet, quare dolet? non dolet.'

c. I 4 = p. 190, l. 23. Erat quidam qui hoc remedio ad certissimam sanitatem perfruebatur. Salis tribus micis sumptis cum ad puteum aquae venisset ⟨et⟩ singulas in puteum deiecisset, ita precabatur ut, 'quemadmodum hic sal seritur et ad nihilum reducitur, sic mea lippitudo coalescat'.

ib. = p. 191, l. 11. Ad percussum oculi praecantabis haec in oculum dextrum de manu sinistra: 'servus fugitivus recte caesus mox ligatus ferro transfixus post viam currebat et dicebat: 'hodie quod est, cras non est.''

c. I 7 = p. 197, l. 4. Infirmis, sanguis cui currerit multum et non poterit restringere (!), scribe de sanguine eius in fronte ipsius de grano turis nomen ipsius inversis litteris, apices deorsum, et mox stat.

c. I 8 = p. 198, l. 5. Item ad dentium dolorem urticae radicem in aceto decoque et ex eo aceto in os contine, sedat statim. Item cum videris primum lunam novam, tenes adversis manibus ad maxillam aliam [ad] aliam manum et dicis: 'nova luna, novi dentes, putres vermes exspuo', hoc ter dicis et exspues.

ib. l. 13. ⟨Ad⟩ dentium et capitis dolorem contra lunam dicis haec: 'luna nova, dentes novi, vermes putridi, foras exite.

---

Cod.: 4. estate. — alii cuius. — pannū. — 5. nomen hunc. — 7. ad *adieci, ut saepe.* — 8. puli folia. — 9. inclusum. — aure. — facto. — 10. mincxerint. — 11. folias edere. — 13. dextrae. — 18. ad *supplevi.* — 19. sales. — tribus miscis; *corr. Fr. Skutsch et Fr. Vollmer; cf. p. 478 n. 51.* — 20. a puteū. — ⟨et⟩ *suppl. Vollmer.* — deicient. — 22. mam lippitudo; etiam *coni. Fr. Skutsch.* — quoalescat. — 24. oculorum. — rectaecesus. — 29. inversus. — 30. ///statum, i *in rasura.* — 31. ad *supplevi.* — 32. decocae. — 34. alium manum. — puteres. — 35. exputo; *septenarium sic metitur Skutsch:* 'nóva lúna, nóvi déntes, pútres vérmes éxspuó.'

quomodo ad te nec lupus nec canis adtingere potest, sic nec ad me, ne caput meum dolor aliquis adtingere possit.' Hoc nomen in charta inscribis et caput ligas.

ib. p. 201 (*in inferiore margine*). Praecantatio ad faucium dolorem; haec dicis, manus inversas tergori inducis: [ita ut] septem [a] tusella VI tusella [se illas et a tusella] V tusella IIII tusella III tusella II [duo] tusella I tusella ⟨nulla⟩. Item ....

ib. p. 202 (*sub textu*). Ad tusellas praecantas: 'Neptunus tusellas habebat supra petram, hic stabat, neminem habuit, qui curaret, ipse se curavit falce sua triplice'; hoc ter dicis.

c. I 13 = p. 202, l. 21. Ad ea quae faucibus adhaerere solent. Ad travoratum. Si in gulam ossum (!) de pisce haeserit sive alia res, de sinistra manu tangens cerebrum et de altera spinam novies ⟨dices⟩: 'lafana (?) piscator exi et fac quae te iussit Iuppiter' et exspues. Item travoratum aliter: sinistra manu alteri tanges cerebrum et dicis 'sanat venator, exi et fac quod Iuppiter iussit' novies dicis et exspues. Travoratum si quid in ore haeserit, sic incantabis ter carmen: civile (?), cernas ad me, sanum facias continuo, exscreato, elicito, traicito, foras mittito. Travoratum equis bobus asinis: Hercules et Iuno regina, adveniatis huic caballo, bovi vel asino qui est travoratus.

c. I 17 = p. 206, l. 1. (Ad tussim) scribes in charta virgine hoc nomen Ialdabrae et de spongia nova tollis lapillum, alligabis tibi et suspendes ad collum.

c. I 18 = p. 207, l. 6. (Ad cervicem.) Item ⟨ad⟩ ossum cervicalem (!) infantibus praecantatio; dicis sic: [et] 'filio illius Gai Sei [h]os patet: caelus patet, stellae patent et tu ossus cervicalis resili sursum'.

ib. p. 207 (*infra in margine*). Item uvae praecantatio: manu inversa dicis et capillos superducis et dicis: 'uvae regina Orci filia, adiuro te per inferos et per superos, ut tuo loco tu redeas.' Item ....

II c. 12 = p. 220. Ad linguam haec dices: 'Quomodo sol a patre et a matre exit et polum circat et loco suo revertitur, sic et, lingua, loco tuo revertaris' et duobus digitis pollicibusque ungues manum et lanam cum manna imponis. Lingulae praecan-

---

3. hunc nomen. — 5. dicit. — tergo rūdocis. — septem a $\overset{9}{\text{t}}$ VI. *Ad incantamentum ipsum cf. Marc. XV 102.* — 7. nulla *suppl. Skutsch.* — 10. quē curare. — ut falcis suis triple. — 13. travoratum *bis.* — 14. crebrum. — ispina. — 16. sinistram. — alteris. — 17. crebrum. — venatur. — 19. sano. — 20. dicito. — 21. bonis. — regino. — 22. cavallo. — 24. hunc. — I. *in* Ialdabrae *erasum, fortasse* Ialdabaoth, *gnosticorum deus?* — hispungia. — 28. garseius, *cf. supra p. 480 adn. 1.* — petet; *corr. Vollmer et Skutsch.* — parent. — 29. resilis uso; *corr. Skutsch.* — 35. exet. — 36. pollicibus.quo; *corr. Skutsch.*

tatio: novies dices: ‛Iuno Iovem rogabat, quilevaret lingulam; quomodo sol, quomodo luna, quomodo vespera, quomodo septentriones, quomodo Lucifer et Antifer redeunt, sic revertatur loco suo, redeat lingula.’ Lingulae praecantatio: duobus manibus tangis de melle et dicis haec: ‛quomodo gallina pullos suos vocat, convocat, sic et ego illius Gaii Sei lingulam voco, ne doleat ne noceat eum, sed redeat’; et sic facies [‛quomodo gallina’] tredecies.

II c. 14 = p. 220, l. 15. ⟨Ad⟩ concoctionem. Radicem ficulneae ⟨in⟩ vini cyathum unum inradito, radicem priusquam cenes et dum cubiculo ibis, bibito. ⟨Ad⟩ digestionem. carmen dicis hoc: ‛Lupus carnem crudam ⟨voravit⟩, sanguinem bibit, nihil sibi nocuit, sic ego, Gaius Seius, quod de dextera accepi, de sinistra deduco digestionem.’ Cuminum cum melle calido bibat ⟨ad⟩ digestionem, venis hora sera, accipis anethum et submasticas et in calida aqua bibito.

II c. 23 = p. 226, l. 30. Ad renium dolorem. In balneo cum te despoliaris, antequam aquam tangas, accipies oleum in manu sinistra, dicis nomen hoc: *Φαρμακους*. hoc ter dicis et manu fricas cum oleo, novies sic lavas.

II c. 23 = p. 227, l. 12. ⟨Ad⟩ renium dolorem vel cetera alia praecantatio: dicis haec: ‛Domine deus omnipotens his dolorem salvat, angeli audierunt, prophetae cognoverunt, homines salvati sunt; audi corce et perage animam. Domine deus omnipotens salvat, angeli audierunt, prophetae audierunt, audi dolor renium, exi a medullis ad ossa, ⟨ab ossibus⟩ ad pulpas, a pulpa ad nervos, a nervo ad cutes, a cute ad pilos, a pilo in centesimum’ excutiens incantas, exspues aut ter aut quinquies aut septiens aut novies. Ad renium dolorem dicis hoc: ‛Domina Luna, Iovis filia, quomodo lupus non tangit te [et] sic et renes meos dolor non tangat. Si renem manducaverō offendo.’

Ib. *in margine inferiore.* haec ‛adiuro vos, quattuor parietes, nec aliquando remanducet, renes mihi dolent’. ⟨Ad⟩ renium dolor ⟨-em⟩ vel cetera alia praecantatio. dicis haec.

II c. 27 = p. 229, l. 8. Infantium praecantatio. dicis haec: ‛Quomodo rota se volvet, quomodo vipera se flectet, quomodo lacerta . . ., quomodo intestinum, quomodo fimbriae

---

3. septentrion. — Antiver. — 6. Gesei. — lingula. — 8. trideci. — 9. radix. — 11. ibito bibis, *emend. Skutsch et Vollmer.* — haec. — 12. voravit *adieci, cf. supra p. 487.* — 14. mel et calida. — 15. ora sera. — 18. dispuliaris. — oleo. — mano. — 19. nomen hunc. — 21. dclor. — 22. praecantati. — 24. perage *Vollmer,* pape *cod.* — 26. ab ossa. — 27. a pulpas. — a nervos. — a cutes. — 28. a pilos. — centesimo. *Ad incantamentum ipsum cf. carmen alterum Germanicum quod dicitur Merseburgiense.* — 29. Renũ dolor. — 31. rene. — 38. quod fimbriae.

exeunt de suo loco, sic et tu quantum glutiaris, ama locum tuum tibi coagularem, cuius lac bibisti.

II c. 32 = p. 231, *in margine.* Coli doloris praecantatio. Coridali cor circa ventrem alligato lino aut licio et sanguine eius ventrem hominis perunge et dic 'fuge coli dolor, coridalus te fugat', ipsum autem et manducet. Item . . .

